





EX SCIENTIA SPES
JULIUS S. HELD



5

N h

- p 6, 114, 169.

[illegible] (p. 94)

Frencke p. 240 and


" " p. 284.

F. gives date as 1659 (on p. 284)
which may be a
printing error.

(on p. 240 he has 1639)

Title-page
Vanitas — Inutilis — Vanitas
by P. Hopenbach

7




MVNDI
LAPIS LYDIVS
siue
VANITAS per VERITATĒ
FALSI
accusata & conuicta
OPERA
D. ANTONII A BVRGVNDIA
Archi-diaconi Brugensis.
TYPIS
Viduæ Ioan. Cnobbari
Antuerp: 1639.
Abr. à Diepenbeke deliniavit.
Theodor. Ion. van Merlen fecit.

INFALLIBILI

VANITATIS VINDICI,
VERITATIS INDICI,
OMNIVM IVDICI

IVSTITIÆ

QVÆ

NESCIA FINIS OMNIVM FINIS EST,
PONDERIS EXPERS OMNIVM PONDVS EST,
CENSVRÆ LIBERA OMNIVM CENSOR EST,

VANITATEM

SIVE PVBLICAM

OMNIS ÆTATIS, SEXVS, ORDINIS

PERNICIEM

FALSI A VERITATE ACCVSATAM

PVBLICÆ SALVTIS GRATIA

IVDICANDAM SISTIT

ANTONIVS A BVRGVNDIA.

PRÆFATIO
DEDICATORIA.



N jus ambula, VANI- [a] *Vanitas*
TAS; tribunal te vo- *in jus*
cat, accuſat VERITAS; *vocatur.*
& (quòd mortali-
bus paſſim

Multa ſubarato mendacia vendis in auro)

ream te læſæ divinæ humanæq́ue Majeſtatis agit, atque adeò univerſà penitus utriuſque ditione proſcribendam contendit.

Ignoſce, ſumma juris & æqui [b] *Evoca-*
Parens IVSTITIA, ſi dignitatis tuæ, ſi *tionis*
muneris mei immemor, in ami- *modus*
cum modeſtiæ juriſq́ue tribunal *excuſa-*
inſolens prorſus & impotens ir- *tur.*

expoſitam hâc te ſententiâ, tuis cum crepundiis, apud omnes omnium exinde ſæculorum homines traduxit: VANITAS VANITATVM, ET OMNIA VANITAS.

Sed falleris enimverò, falleris; ſi, quæ porrò commiſſa ſunt per te crimina, non abſimili nunc corrigenda ſupplicio putas. Graviora gravioribus ſunt pœnis obnoxia; tum præſertim, cùm ipſis quoque ſuppliciis accreſcit improbitas. Tua verò uſque eò impunitate, perinde ac pœnis, audacia ſemper induruit; ut non illum ipſum modò, qui infamiâ te mulctavit, judicem tantùm-non perdidiſſe comperta ſis; ſed mortalium pleroſque prætereà, aut hujus aut æternæ vitæ

e nunc exilio mulctanda,

vitæ bonis evertiſſe, aut utriſque. Et ſeveriùs æquo, ſcilicet, agi ſecum publica pernicies autumet, ſi [f] publico dumtaxat exilio proſcribendam dixero, quam, ex lege talionis, æviternis ignibus mancipatam oportuit.

[f] ſi non ignibus,

Tuam hîc fidem obteſtor, IUSTITIA, tuum hîc tribunal appello, [g] ſed paucis; ne in re tam manifeſtâ vel æquitati tuæ, vel cauſſæ meæ bonitati videar injurius. Nec enim (quæ naturæ tuæ ac voluntatis libera neceſſitas eſt) committere potes, ut quam genio ingenioque damnas, abſolvas judicio.

[g] Iudicio ſiſtitur.

AD LECTOREM.



Aucis conventum te volo, mi Lector. Ignosce, si profiteri audeo, quod fateri me velle vix crederes.

h Scriptionis ratio. *Mens fuerat ex integro neotericorum veterumq́ placitis fidem iis quæ scripsi paradoxis adstruere: sed ne scopas tibi inconcinnas prorsus ac dissolutas darem; fusiùs hinc inde dispersas, sententiis plerumque meis & verbis adstrinxi; ac ne continua Scriptores citandi necessitas fastidium pareret, ut plurimùm non citatos admisi, utrumque verò fide tam sincerâ perfeci, quàm si me paginæ sanctioris interpretem jussisset Ecclesia.*

i Argumẽtum. *Itaque per animi, corporis, ac fortunæ*

bona ad ultimum usque spiritum VANITATEM *persequens, accusante fideliter, ut oportuit,* VERITATE, *perfidam falsi arguo; & quòd* DECIPVLAS *ubique mortalibus pro deliciis venditet, omnium affectibus illicò proscribendam contendo.*

Jure, an injuriâ, tu quoque, mi Lector, judica: & si DELICIIS *ejusmodi cares, liberum te* DECIPVLIS *gaude; sin affluis, ita providus* Falsis *utere, ut in* Veras *tibi & æternas vertant. Sic vovet, sic sperat* [l] *Scriptoris monitum.* [m] *Votum.*

Tui amans, ut sui,

A. A B.

AD EMBLEMATA

REV[di] ADM. DOMINI

D. ANTONII A BVRGVNDIA

BRVGENSIS ECCLESIÆ

CANONICI ET ARCHI-DIACONI

DE VANITATE

PER VERITATEM

VICTA.

QVAM *vanis miseros ducit inaniis*
Error Terrigenas! Pectora luridæ
Quantum noctis habent! quo rapit impete
Mentes instabiles horrida cæcitas!
Eheu! pars hominum maxima devias
In FALSI *tenebras labimur, &* BONO
Arcet non solidi nos-species boni.
Larvis decipimur scilicet improbis,
Mendacique dolo; nec cupimus tamen,
Quamvis VERA *boni luceat indoles,*
VERO *contiguum currere tramitem.*
Hic servit fatuis vanus honoribus;
Hic numquam saturæ verna libidini;
Illum dirus opum torquet anhelitus:

Et

Et quamvis ſtudio non ſatiabili,
Atque has ſollicito pectore quærimus
Semper quiſquilias; non tamen aureum
Illis pandit iter limitibus ſalus,
Nec tali ſequitur fine beatitas:
At dum collibuit falſa ſequi bona;
Veris nos adimit cæcus amor bonis.
Sic olim ingluvie dum premitur gravi
Æſopi catulus, flumine limpido
Lucentem & ſtolidè captat imaginem,
Veros umbra gulæ diripuit cibos.
Sic ditem ſoboles prodiga dum patrem
Linquit, mentis inops, & meretriciis
Implexus laqueis, heu! juvenis feræ
Paret luxuriæ: cogitur ad putres
Porcorum ſiliquas; at neque vilibus
Eviciſſe cibis, nec miſerâ dape
Gliſcentem penitis eſuriem fibris
Infelix potuit; donec ad optimi
Patris tecta redux aurea, pinguibus
Acrem de Vitulis edomuit famem.
Quàm claris aperit triſte chaos notis!
Quàm docto tuus, ô! ſignat agalmate
Errantûm nebulas Symbolicus liber!
Quàm nos pulchra monet pagina! Sic vagas
Dum mentes variis fraudibus occupat,
Illuditque malis noxia VANITAS,
Ad mæſtos hominem dejicere inferos:

Qui, ni cæcus agat præcipitem furor,
Scandat purpureo ſidera vertice,
Et palmam rutilis inſerat orbibus.
Eja macte novâ clarus adoreâ
ANTONI, *patriæ dulce decus tuæ,*
Idem palladiis delicium Brugis:
Illo, quem Genius perpetuet, libro
Noſtro perniciem de grege publicam
Arce, muſcipulas detege, retia
Signa, tartareos nexa per aucupes:
Quæ cautis ſtatuat præmia VERITAS,
Queis tandem fatuos ſuppliciis gravet
Vani ſtultus amor, diſſere. Cantibus
Attollet meritis docta phalanx pium
Sanctæ laudis opus; quiſquis amabiles
Cœtus Pieridum, ſacraque Phocidos,
Et caſtum ſequitur lætus Apollinem;
Dignum Pieriis dicet honoribus,
Et ſacro innocuam vertice lauream
Vernantis folii nectere geſtiet.
O BVRGVNDIACO *ſanguine nobilis,*
Virtutis merito nobilior tuæ!

AMICO O. M. POSVIT

ANTONIVS SANDERVS,

Eccleſiæ Cathedralis Canonicus
Ipris.

IN

IN EMBLEMATA
REVERENDI NOBILISSIMIQ. VIRI
ANTONII A BVRGVNDIA
CANONICI ET ARCHI-DIACONI
ECCLESIÆ CATHEDRALIS
BRUGENSIS.

PRÆCLARA *gentis inclytæ,*
BVRGVNDICÆ *propaginis*
Laus ,& perenne nominis
Heroici decus novum,
Ecclesiæ lumen tuæ;
Mentis tuæ ſolertiam,
Fœcunditatem pectoris,
Scientiæ altitudinem,
Profunditatem & ingenî,
Salutis utpote indices
Ad æviternæ ſemitam,
Summique deſiderium
Boni , & mali ſcientiam,
Tum pes quod & caput rei,
Quæ noſcere ipſum ſe docent,
His lineata Emblematîs,
Firmata ſanctorum Patrum
Sententiarum pondere,

Tum

Tum VERITATIS *ipſius*
Teſtata quæque oraculis,
Rarâ ſtyli elegantiâ,
Ac perpolitioribus
Ornata verè verſibus,
Nolit velit mirarier,
Fidemq́ue habere credulam
Debebit omnis, qui Dei,
Humanitatis & ſuæ,
Vitæq́ue momentaneæ,
Inaniarum & omnium,
Mortalitatis omnium,
Stygiſq́ue vel tantillulum
Rectè ſciens Plutoniæ,
Tum æternitatis conſcius.
Conceptus an prægnantium,
Et Principum, qui pauperum,
Nativitatis flebilis
Idémne, & eſt vitæ exitus
Quid purpuram extra, & perbrevis
Fucos inanes gloriæ,
Triumphi honorem futilem,
Pompæ ſuperbæ imagines,
Sceptra, & coronas Regias,
Opumq́ue fluxa commoda
Mortalis ille ab altero
Diſtat? ab Iro Cæſares,
Ab imperito gnaritas,

Vel

Vel à Platone Mygdonis
Phrygi Corœbus filius?
Quippe hisce cùm nec alteris
Ex omnium vertigine
Laborum ineluctabili,
Et felle amaro luxuum
Nil ampliùs quid suppetat,
Quàm queîs opus compendio
Vitæ, & tuendo corpori
(Et quo modo quid relliquum
Pote esse nugis ex meris?)
Pro Regis Isaacidûm
Ecclesiastæ oraculo
Verißima quàm VANITAS.
Vno proinde lugubris
Gemente vocis spiritu,
Sis Pontifex vel Maximus,
Vel unus omnium potens
Rerum Monarcha & orbium,
Clamare cuncti cogimur:
O VANITATVM VANITAS!
O VERITATVM VERITAS!
Quid eloquar puerperis
Dirè imprecatos liberûm
Nixus, dolores maximos,
Natis malorum perpetem
Orbem, laborum & vortices
Nullâ sui constantiâ?



Vivacitas

Vivacitas mortalium,
Fluxus refluxus naufragi
Maris, & procellosum chaos,
Risus, joci, lascivia,
Cantus, suave barbiton,
Fides, lyræ, testudinum
Insigne musicum melos,
Dapumque opima fercula?
Quid præter æs sunt tinniens,
Lanugo, pappus, flosculus,
Evanida umbra luminis,
Inanis oscitatio,
Ventus, vapor, fumus, nihil?
Quare nisi contempseris
Has VANITATES, *has lyras*
Hettas meras, crepundia,
Heu prava gens mortalium!
Quæ vos inexorabilis
Apud tribunal Æaci,
Atque æviterni incendii
Voraginosum gurgitem
Manent cruces, manent mala,
Tormenta, pœnæ vindices!
Hinc vana gens mortalium,
Numquam doloris insolens,
Quem dura sors, quem VANITAS,
Quem certa mors, & omnibus
Incerta vel pusilluli

Vsura

Vsura semper temporis
Trahit, minatur, ingerit,
Rursum exilare cogimur.
O VANITATVM VANITAS!
O VERITATVM VERITAS!
Contrà, pari libramine
Si pensites cælestium
Felicitatem civium,
Summiq́ue pulchritudinem
Boni integram, & quidem ipsius
Fruitionem Numinis,
Ac VANITATES *sæculi;*
Humana, cassa ut omnia,
Nec assis æstimaveris.
Beata gens mortalium,
Iuganda Cælitûm choris,
O quæ beatitudines,
Solatiorum flumina!
O quæ voluptatum seges,
Quæ gaudiorum gaudia,
Pupilla quæ nec luminum
Vidit, nec auris audiit,
Nec cogitatu perspicax
Humana (quamvis particeps
Divinioris aurulæ)
Mens cepit ullo tempore,
Apud Deum tunc vos manent
Iustum & benignum Iudicem!

Quare & cachinno argutulo
Risoris illius Sophi
Ridere more cogimur,
Hæc orbis ampli frivola,
Ineptias, Inanias,
Et vaniora inaniis
Hæc ſcenicæ ludibria,
Vitæ baſin mortalium,
Atque ejulando triſtiùs
Exclamitare flebili
Vocis ſonore denuò:
O VANITATVM VANITAS!
O VERITATVM VERITAS!
O utriuſque æternitas!

TESTANDÆ

Amicitiæ ac benevolentiæ ſuæ

I. PIERSSENÆVS

REGIVS

In Conſilio Flandriæ
Conſiliarius

L. M. Q. P.

AD

AD

NOBILEM ET ADM. REVERENDVM

DOMINVM

D. ANTONIVM A BVRGVNDIA

ECCLESIÆ CATHEDRALIS BRVGENSIS

CANONICVM ET ARCHI-DIACONVM

AVCTOREM EMBLEMATVM,

Quibus oſtenditur VANITAS à VERITATE victa.

QVI *clarum genus, inclytumque nomen*
A BVRGVNDIONVM *trahis Dynaſtis,*
Atque inter veteres avos recenſes
IOANNEM INTREPIDVM, & BONVM PHILIPPVM,
Ortos Regibus, æmuloſque Regum,
Tot Regum proavoſque Cæſarumque,
Supremos etiam gradus honorum
Sectari poteras, & eſſe dignus
Dux, vel Marchio, vel Comes vocari;
Et te nobilibus decora gemmis
Veſtiret modò lana, palliumque
Ardenti rutilans & auro & oſtro,
Stiparentque ſatellites euntem
Coruſcantibus hinc & hinc ſariſſis,

Et quidquid facereſque, diceréſque,
Recens quotidie cohors clientum
Centum laudibus inter aſtra ferrent;
Recens quotidie agmen aſſeclarum
Centum plauſibus inter aſtra ferrent;
At nunc, Numine præpotentiore,
Hinc uſque ad Superos & aſtra ductus,
Veros non niſi cogitas honores,
Veros non niſi cogitas favores;
Queîs puri ætheris incolæ fruuntur,
Pullo & ſemper obambulans amictu,
Vno vix puero gradum ſequente,
Et poſt-ſpernis, & ante-ambulones,
Sariſſas ſuper, & ſuper ſecures,
Securus tamen omnium, tuíque;
Inflatas ita ſpongias honorum,
Laudum tympana, gloriæque folles,
Bullas non niſi inanitate plenas,
Ampullas quoque VANITATE *fartas,*
Et ſaccos tumidos ineptiarum,
(Vtque unâ omnia voce comprehendam)
Et mendacia VERITATE *vincis.*
Nec viciſſe ſat eſt; per-erudito,
Vt vincant alii, doces libello,
Iam dudum merito diem libello,
Iam dudum merito cedrum libello;
Et caſtis ſalibus leporibuſque,
Atque Emblematibus novis referto,

Plenis

Plenis artis & elegantiarum:
Aſt Emblemata quid fuit neceſſe
Tot producere, cùm ſit Auctor ipſe
Verum Emblema præ-omnibus ferendum?
Verum Emblema, quod omnis uſque & uſque
Spectet poſteritas, & obſtupeſcat:
In quo perſpicuè omnis ordo, & ætas,
Vniverſáque Bruga VANITATEM
Poßit cernere VERITATE *victam.*

PANGEBAT

OLIVERIVS VREDIVS

I.C. BRVG.



R[do] ADMODVM DOMINO

D. ANTONIO A BVRGVNDIA

ARCHID. BRVG.

VT ales aures ad meas Cyllenius
Lætum benigno nuntium vultu tulit,
Partum eruditæ mentis A BVRGVNDIA
Eniti in auras; Ecquid, ô Libethrides,
Dixi, siletis? Sileat enervis licet
Mihi lyra, & ægras publico Musas neget;
Probet hîc, oportet, vena vel moriens fidem,
Plaudatque Vati carmen antiquo-novum.
Iubet hoc, rapitque me mihi styli nitor,
Emblemata nova, acuta, docta, limpida,
Quæ ipsæ videntur dictitasse Gratiæ.
Vidésne, quisquis sumis in manus opus,
Et curioso permeas oculo librum,
Agat universus hîc ut histrioniam
Mundus, & honesto palliet cultu scelus,
Nihilque, quàm quod adstruit, minus putet?
Vt mango vendat æs & aurum, clamitet?
Sinceritas ut absit, ut regnat dolus?
In melle lingua, in felle sint ut pectora?
O quàm refellit Auctor hoc hominum genus!
Modisque quot constringit, ac captos tenet
Vafros, dolosos, pessimis plenos strophis,

Suspensa

Suſpenſa nobis cuncta qui paßim offerunt
Et dicta & opera. Mentis Auctorem bonæ,
Rudis ô malorum, mente ſollerti lego,
Ne virus animo dulce non cauto bibas:
Tu quoque, veneni melleos quiſquis dolos
Rudibus propinas, virus ut ponas, lege,
Proderit utriſque, utroſque qui mordet, liber.

ACCINEBAT

LEVINVS DOEDENS
Primi ſubſellii Senatui
A Secretis Gandavi.



AP-

APPLAVSVS HEROICVS

R^do ADMODVM DOMINO

D. ANTONIO A BVRGVNDIA

ECCLESIÆ CATHEDRALIS

APVD BRVGENSES

CANONICO ET ARCHI-DIACONO

Super larvâ VANITATIS detectâ.

O Curas hominum! ô quantum est in rebus inane!
Dux satyræ clamat Vates mortalibus ægris;
Plurima sed spondens solidarum oracula rerum,
Nil nisi perplexis verborum anfractibus adfert.
Quisquis amas certus falso *discernere* verum,
Nocturnâ pervolve manu, pervolve diurnâ
Librum, quo noster Flandro-Burgundus id omne
Tramite demonstrat recto, solidissima promens
Dogmata, quæ totus meritò venerabitur orbis.

ACCINEBAT

ALPHONSVS PLANCIVS

MEDICINÆ DOCTOR

FLANDRO-BRVGENSIS.

AP-

APPROBATIO.

NE mortalibus FALSA pro VERIS obtrudat in-posterum VANITAS; fraus illius ex fidei veríque placitis, per *Admodum Reverendum Dominum,* D. ANTONIVM A BVRGVNDIA, *Ecclesiæ Brugensis Canonicum & Archi-Diaconum*, non minùs doctè quàm feliciter detecta, lucem videat. Antverpiæ XVI. Febr. M. DC. XXXIX.

GASPAR ESTRICX, *Plebanus & Librorum Censor.*

SVM-

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPVS *Dei gratiâ Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ*, &c. *Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, nequis librum, cui titulus est:* Mundi Lapis Lydius, sive VANITAS per VERITATEM falsi accusata & convicta, operâ D. ANTONII A BVRGVNDIA, Archi-diaconi Brugensis; *præter viduæ Ioannis Cnobbari, quondam Typographi Antverpiensis, voluntatem ullo modo in Belgio imprimat, aut alibi terrarum impressum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ gravi pœnâ mulctabitur, ut latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, die* I. *Augusti, anno* M.DC.XXXIX.

Signat

STEENHVYSE.

VA-

VANITAS A VERITATE FALSI ACCVSATVR.



FILII hominum, uſquequò gravi corde? ut quid diligitis VANITATEM, & quæritis mendacium? exclamabat olim fraudum VANITATIS doctior quàm cautior Propheta. Nec injuriâ. quid enim niſi mendacium VANITAS, quæ jam pridem mortalibus

Tanta ſubærato mendacia vendit in auro,
Quanta boni ſpecie, non bona, mundus habet?

n *Accuſationis capita.*

Non creditis? ad lydium rationis lapidem provoco. Agè VANITAS, quidquid pro utili futile, pro ſolido ſtolidum mortalibus venditas, judicio ſiſte.

VANITAS.

Ingenii acies ſubtilis.



VERITAS.

Quia ſubtilis, inutilis.

VE-

VERITAS.

QVAM aptæ ſint humanis uſibus Cameracenæ, Hollandicæ ac Cortracenſes telæ, maniſeſtiùs docet quotidiana neceſſitas, quàm ut quempiam lateat. Eam verò, quam ſibi ipſa & colus, & fuſus, & ſtamen, & lanipendia, & textrix aranea conficit, non minùs apertè conſtat tam inutilem eſſe, quàm ſubtilem; imò verò ideò maximè inutilem, quia maximè ſubtilem.

o *Acies ingenii ſubtilis, ut aranea tela, inutilis eſt.*

Sic nihil veræ ſapientiæ magis inutile, quàm Sophiſtæ ſubtilitas. Ideò inviſam Palladi finxêre veteres araneam. Vt mucronis ergo, ſic ingenii acies ſit, non ut ſetæ; ſubſiſtat, ut penetret. Quorumdam acumen tenui cuſpide frangitur, primoque molimine deficit. Validiſsima etiam, ſi ad ultimum extenuentur, infirma ſunt: ſic robur omne tenuitas atterit.

p *Hinc inviſa Palladi aranea.*

Ingenium, ut eæ quas diximus telæ, ſi bonis artibus applicabile, pretioſa ſupellex, & utilis; ſin minùs, ut araneæ textum, laborioſa, & futilis.

Quis Sophiſtarum bella dinumeret? quis inenodabiles nodos? quis veri profeſsionem? quis patrocinium falſi? quis ignorantem ſcientiam? dum hoc unum certò ſcire ſe fatentur quòd nihil ſciant, ac ne viam quidem ſcientiæ adhuc invenerint?

q *Nihil rectè ſciunt Sophiſtæ.*

rint? Et verisſimè quidem. Si enim, juxta unanimem ipſorum conſenſum, nihil rectè ſcitur, quod non per cauſas, eaſque proximas, & efficientes quidem aut finales, ritè demonſtratur; tales verò attributorum nulli hactenus aſsignari potuerunt, niſi ſolis immutabilibus & propriis accidentibus, tamque exiguo numero, ut ferè an numerus dici poſsit ambigam; quis non videt, eos inter ignaros potiùs quàm ſapientes eſſe cenſendos?

Eorum porrò, quæ ſcire perhibentur, nihil non rationibus inter ſe pugnantibus problematicè varium, nihil tam ſolidum, ut non mox æquè ſtolidum eſſe comprobetur. Exemplis, quod loquor, evincerem, niſi propoſitum brevitatis ſtudium, vel ex nunc, aliò me vocaret.

r ſimiles horologiis, ſ ſibi ſemper adverſi.

Quapropter, ut paucis expediam, genus hoc hominum horologiis conferes, quæ dum veri regulam profitentur, ipſamet à vero deviant; & hoc uno ſemper conveniunt, quòd inter ſe numquam conveniant. De horâ certè nemo crebriùs ambigit, aut interrogat, quàm qui ejuſmodi loquaces rotas circumferunt: ſic nulli minùs ſapiunt, quàm qui maximè. Et è diverſo ignorans non dubitat.

t Maximè docti, maximè ignari,

u erroribus, y amentiæ, z nequitiæ obnoxii.

Pejus eſt, quod ſubjungo. Raró magni errores, niſi ex magnis ingeniis prodiêre. Nullum magnum ingenium ſine mixturâ dementiæ: quidni & nequitiæ? Da ſanè, inquit vulgus, ingenii maximè

mè ſubtilis artificem, dabo plerumque moribus quàm maximè perditis nebulonem.

Quàm pernicioſus Reipublicæ Catilina fuerit, ſæpiùs Cicero prodidit, quàm Conſularis modeſtia poſtulabat: at Criſpus illum magnâ vi animi fuiſſe ait, ſed ingenio malo. Tu an bono ſis, neſcio: quòd ob ſenſuum fallaciam, cæco; ob rerum omnium incertitudinem, erroneo; ob humanæ fragilitatis conditionem, periculoſo; hoc certò ſcio. [a] *Teſtis Catilina,*

Habe & hoc coronidis loco. Ingenium quò velocius, eò propius ruinæ, utinam non æternæ! Quàm id vellent tot illuſtres animæ, quarum nimia ſubtilitas, cæli clauſtris infracta, ſibi aliiſque barathrum reſeravit! [b] *& alii.*



VANITAS.

Memoria facilis.



VERITAS.

Vt influit, effluit.

VE-

VERITAS.

QVOD enim ampli gutturis poculo accidit, ut, quidquid infuderis, effluat eâ facilitate quâ influit; id perinde memoriæ uſu venit.

c Memoria, ut lati gutturis poculum,

Exempla deſideras? habe. Obmutuit repentè in medio orationis ſuæ decurſu coram Philippo Demoſthenes, coram Antonino Herodes Atticus, coram Severo Heraclitus Lycius, omnes priùs æquè memoriæ laude celebres, quàm poſteà fraude.

d facilè quod admiſit, amittit facilè.

Perfidus nempe quæſtor memoria, concreditum repoſcenti aut reddere negat, aut prodigit. Et ejuſmodi gloriaris? An fortè, quia non fefellit hactenus, fallere te deinceps non poterit? quis fidejuſſit? ego certè hoc ipſo te fallere cenſeo, quo fallere te non poſſe exiſtimas.

e Perfidus quæſtor,

Memoria abſentis objecti ſpeculum eſt, cryſtallus præſentis; & quot mendacis cryſtalli genera, tot ſunt & memoriæ. Nec illud modò: ſed, ut afflatus ſpeculo vel modicus vapor, quidquid cryſtallus imaginum poſsidet, momento eripit; ita, ſiquis cerebrum, aut calore nimio forſan, aut frigore obnubilet humor, tollit eveſtigiò, quas in ſe pinxerat ideas, memoria.

f ſpeculo ſimilis:

g minimo vapore turbatur.

Vt nihil de Franciſco Barbaro, nihil de Orbilio,

nihil

nihil de Gregorio Trapezuntio dicam; teſtis Meſſala Corvinus raræ vir eloquentiæ, raræ memoriæ, cui ſimilis aliquando ſuffuſa nubecula, etiam proprii nominis reminiſcētiam ſuſtulit. Quid multa? non ſemel evenit, ut ſingularis prudentiæ viris univerſa ſapientiæ ſymbola, in amentiæ ſimulachra repentè converterit.

At capax mihi, inquis, non fallax memoria eſt. h *Dei, & ſui immemor.* Itáne verò? Vnde hæc igitur oblivio cæleſtium præceptorum, quæ tam pauca ſunt numero? unde oblivio Dei unius? unde oblivio tuimet?

i *Infelix puerpera,* Sed eſto, capax ſit; quid deinde? Infelix nempe puerpera eſt, quæ confuſam Babylonicæ turris molem aſsiduò parturit, numquam parit. Capax l *ſtomachus frigidus,* ſtomachus eſt; ſed frigidus, atque adeò ex eo, quòd malè digerat, malè ſanus.

At memoria mea, quidquid conceperit, rectè digerit. Benè habet; hactenus de quæſtore perfido m *animi carnificina.* tantùm gloriata eſt VANITAS; jam etiam de carnificinâ ſuperbit. Meliùs cum Themiſtocle oblivionem optaſſes. Diſcenda ſiquidem dediſcimus, & diſcimus dediſcenda. Erras, in recordatione multiplici multiplex moleſtia eſt. Quædam conſcientiam vellicant, quædam pungunt, quædam vulnerant: unde fit, ut memorantium ora rubor, pallorq; viciſsim in ſilentio occupent, inceſſuſque ſit varius, vox incerta. Imò ſæpè delectabilium

moleſta

molefta recordatio eft: &,quæ mortalium infania eft,cataftam hanc arte producimus.

Quid plura? Vis optimum genus memoriæ? Memento peccati tui,ut doleas;memento mortis, ut offendere defινas; memento divinæ juftitiæ,ut timeas; memento mifericordiæ,ne defperes. Breviùs. Vis optimum genus memoriæ? Oblivifcitur omnium, memor Dei.

n Omnium optima.



VANITAS.

Verborum copia.



VERITAS.

Nihil copia, ſed uſus.

VE-

VERITAS.

QVAM dubia Typographo ſupellex ſit characterum copia, neminem fugit. Efficit quidem frequentia, ut dives elementorum Typographus, plures uno diverſoque tempore commentarios prælo committere poſſit, quàm alius quiſpiam minùs ab ejuſmodi notis inſtructus: ſed, ſi temerè, ſi tranſversùm, ſi hiulcè, ſi minùs decẽter collocati ſunt apices, plus illi profectò ſortis ac nominis abuſus hic deteret, quàm adferet copia. Si verò quidpiam etiam privatorum famæ, ſi paci publicæ, ſi decretis Principum, ſi Eccleſiæ ſanctionibus adverſum vulgaverint; actum eſt illicò de famâ fortuniſque Typographi. Negas? ad fiſcum appello. Nihil itaque copia, ſed uſus.

o *Characterum copia utilis, ſi rectè uteris:*

p *ſine ſecùs, noxia.*

Idem eſto judicium de ubere verborum in homine diſerto copiâ. Magnum profectò inſtrumentum eſt gloriæ, verborum affluentia; ſed anceps cuſpide geminâ; & hac quoque qualiter uti ſcias, refert plurimùm.

q *Sic & verborum copia* r *anceps eſt.*

Sapientis dictum eſt, non ignobilis: Mors & vita in manu linguæ; nihil hâc mollius, nihil durius. Linguæ volubilitas, atque verborum copia, & ars etiam quædam; ſceleratis piiſque communia ſunt, non item eloquentia; quæ, ut benè Cato,

nihil aliud eſt, quàm copioſè loquens ſapientia. Verus enim Orator, ſi Tullio credimus, niſi vir bonus, eſſe non poteſt.

s Qualis qualis ſit. At eloquentia mihi dulcis & ornata eſt. Dulcedo, & ornatus iſte, neſcio quid blandum, & doloſum præfert. Sed non pluris eſt apud rectos judices ſuavis & compta viri fallacis oratio, quàm vel meretricis fucus, vel mellitum virus, vel phrenetici robur. Quid ſi floridam dixero? Florent, dicam, lilia, floret & aconitum. Quid ſi clarum? Clarus ſol, clarum incendium. Deniq; verſa, ut lubet, & reverſa, & gloriæ habes viam arduam, & invidiæ pronam.

Eloquentiâ ſi innocenter, abſque jactantiâ, utare (quod, quàm homini in elationem proclivi difficile, facilè conjicis) vix ullâ re citiùs tibi multitudinis amorem concilies, & gloriam quæras: ſin arroganter atque improbè, mox certum tibi diſcrimen, & multorum odia conflâris. Vt murex, ſic homo linguâ capit, & capitur; & quæ illi adnaſcitur ſanguinea purpura, non minùs mortem præſagit, quàm gloriam.

t quò major, eò periculoſior; Plus dicam: eloquentia quò major, eò damnoſior funeſtiorque, ſi ſola eſt: ſingulares proinde viros, & Græcorũ & noſtros, in perniciem traxit. quod ita eſſe, Demoſthenes, & Cicero, & Antonius non negabunt.

At

At eloquentiæ mihi magna fiducia eſt. Magna ſæpè fiducia magnis periculis viam fecit. Hæc bellaciſsimos viros oſtendit imbelles, hæc cautiſſimos probavit incautos; hæc eos, qui diſertiſsimi videbantur, infantiſsimos patefecit.

u *maximè, ſi illi quàm maximè fidis.*

Tu ergo, ſi veram eloquentiæ laudem quæris, Virtuti & Sapientiæ primùm ſtude, non inutili verborum copiæ. Infelicem ſiquidem non minùs verborum, quàm characterum facere abuſus poteſt, uſus felicem, neutrum copia.



VANITAS.

Corpus valens ac vegetum.



VERITAS.

Rebelle ſubſidium.

VE-

VERITAS.

INCONSVLTA planè,ne dicam inſana jucunditas. Multorum quidem aliquando de rebelli conjuge querelas audivi, at nec unius gaudium. Quis enim,niſi inſanus,gaudeat ab eâ ſe deſpici, à quâ ſuſpici debuerat? ab eâ ſe proteri, à quâ coli eum oportuerat? ab eâ denique ſe malè haberi, quam,ut commodè haberetur,commodè ſemper aluerat? Nemo profectò. Aut igitur inſanire ſe fateatur VANITAS oportet, aut temerè ſibi de ejuſmodi fortunâ plaudere,quam plangere decuerat. [y] *Inſanum de rebelli conjuge gaudium.*

Quid enim in animæ contubernio caro eſt,niſi rebellis uxor,quæ,etſi in ſubſidium à Deo data ſit, & à conſorte accepta; adeò tamen pertinaci in comparem odio fertur, ut millies in horas propemodùm ſingulas perire geſtiat,dum hanc perdat? Nec teſtibus opus eſt: quiſquis ſe novit, teſtem novit. [z] *Quaſi conjux, animæ caro:* [a] *rebellat aſſiduò,*

Tot porrò labores ſuſcipere, tot ferre ſupplicia, quot multis imperat Medicorum præſumpta neceſſitas; quid aliud eſt,quàm teipſum enecare, ut ne deſint vires & arma, queîs cadas? Multos ſanitas per lubrica voluptatum in infame exitium præcipites egit, qui infirmi ſine dedecore periculoque vixiſſent: innumerabiles in diſcrimen, ferè omnes in crimen traxit, [b] *fovetur tamen, ut valeat.* [c] *Multis ſanitas noxia,*

Non

Non ſolet inter equos infirmior eſſe calcitro, ſed valens ac vegetus : non meditatur luctam, mollior cuniculi capillo Ganymedes, ſed lacertoſis metuendus artubus Biton : non inſultat Antæo, non Gerioni, non Caco, à Neſſæâ peſte jam viribus orbus Hercules, ſed florens ; terram ſanus, æger cælum ambit & occupat.

d *utilis infirmitas.*

Nuſquam pejùs æger animus habitat, quàm in ſano corpore. Difficile eſt conjugi imperare, difficilius parêre : grave eſt ab hoſpite prodi, gravius à conjuge : inſanum eſt ultrò dedecore confici, inſaniſsimum ſuperbire.



VA-

VANITAS.

Robur insigne.



VERITAS.

Infirmis fortia cedunt.

VERITAS.

e *Agile & robuſtum corpus eſt fortis: adverſarius, firmus carcer, belluina gloria.*

DEVS immortalis! quæ demum inſania eſt, ſi hæc non eſt? Quis, niſi dignus Anticyris, forti adverſario, quis firmo carcere gaviſus eſt umquam? quis ſe belluis proximum, quis parem, quis inferiorem gloriatus eſt?

f *Imò ſuperant hominem agilitate belluæ, venti, cælum;*

Si enim per robur, inſignem corporis agilitatem intelligis; finge te Athalantæ, finge Ladoni, finge Mercurio parem; quantulum hoc eſt leporis, quantulum avis, quantulum venti? Et hoc adde. Cæli velocitas te præcurrens, ad ſenium te & ad mortem applicat: illud tibi curſum eripiet, motum iſta. Prima ætas ſtimulos habet, frænos ultima: eò curritur, ubi non curritur.

g *robore verò belluæ*

Sin verò firmiſsimam membrorum compagem accipis, quantulum hoc equi eſt, quantulum leonis, quantulum elephanti, quantulum navis, quantulum trabis? At equum tamen debilitat, perperàm infixus ungulæ clavus; leonem galli cantus perturbat, & elephantem irrepens proboſcidi muſculus.

h *navis,*

Navem ventis, undis, remis, velis actam echenæis, ſemi-pedalis piſciculus (ne quid de altero limacis non abſimili dicam) immobilem retinet, ſolus elementorum atque hominum vim retundens; & nullo quidem actu alio, quàm

navigii

navigii postibus adhærendo. Trabem denique, etsi pontis sublicii, aut illius domus (cujus insanâ mole non modò prodigos omnes, sed seipsum quoq; superavit Nero) onere sustentato nobilis sit, sensim sine sensu, edentula teredinis promuscis in pulverem ac in nihilum redigit. [i] *& trabs;*

Vsque adeò verum est quod dixi,

——————— *Infirmis fortia cedunt.*

Et meliora tuo spondes de robore? falleris. [l] *quæ tamē omnia superantur ab infirmis,*

In magnam virium fiduciam magnis viribus accingitur fortuna; & interdum ex æquo congredi indignans, ut ostendat quàm fragile animal est homo, dum sibi etiam robustissimus videtur, gigantæos viros levi prælio conficit. Milonē ipsum, cunctis celebratum palæstris, arbor una detinuit, lacerandumque feris objecit. Anacreonti acinus, Fabio Maximo pilus, Philistioni risus ipse, parvus ingentis luctæ victor, animam extorsit. [m] *homo verò etiam ab acino, à pilo, à risu,*

Vis candidè tecum loquar? Quidquid mortalibus est roboris, id omne vel unius febriculæ spolium est, atque adeò infirmum, ut infirmitas ipsa sit longè robustior. [n] *& robur ipsum ab infirmitate.*

VANITAS.

Elegans forma.



VERITAS.

Pulchra domus cineris.

VE-

VERITAS.

En habes pomum, quod, ab infami originis ſuæ buſto, Gomorrhæum vocant; pomum, inquam, ſi ſpeciem attendas, penicillo, non arbore; cælo, non terrâ genitum; at ſi medullam quam habet, non è carne, ſed cinere. Habes alterum è buſto buſtum; habes domum pulchram, ſed cineris: plus dico; habes aptiſsimum elegantis formæ typum. Mendacii me reum age, ſi, vel teſte te, fallo. o Pomum Gomorrhæum p placet ſpecie, q ſcatet cinere.

Vides illum noſtri temporis Paridem, vides hanc Helenam? quid comptius? quid venuſtius? quid miraculo propius? Apollinem illum putes, niſi fides prohibeat; & collatæ cum hac Gratiæ, gratiâ careant: adeò ſerena frons eſt, adeò illuſtres oculi, adeò rubeſcentes ad gratiam genæ, adeò cilia in iridem decenter inflexa, adeò collucens & auro vibrata cæſaries, adeò ſuis omnia numeris abſoluta. r Placet humanâ ſpecie.

Video, inquis, & inſolentis gloriæ luce præſtrictus, atque adeò jam non meus, exclamo: O prodigium! prodigium, inquam, in quod omnes omnium elegantiarum dotes natura prodegit! verè jam non tuus, quia tui-ipſius neſcius. ſ formoſa cuticula;

Sed agè, detrahe formæ pulcherrimam cuticu-

 læ

læ larvam, & eveſtigiò detectus, oculiſque vel ſolis hauſtus Gomorrhæi hujuſce pomi cinis, illos ſibi, te tibi reddet. Tam facilè mors vitæ medicinam facit.

t *ſed cadaver*

Non credis? Conſule tumulum: teſte ſiquidem Græciâ, τὸ σῶμα τὸ ζῆμα, corpus ſepulchrum eſt. Conſule mortuos, & cum Damaſceno mox è diſcipulo magiſtrum te referes. Muti quidem hi Doctores ſunt; ſed diſertiſsimè loquuntur, & docent. Audi: defluit hîc, ajunt, flava cæſaries, frons ſquallet, livent genæ, ſtupent oculi, cervix languet, rigent manus, pedes ſubſidunt, omnia in ſordes & cinerem abeunt; juxta fatale ſupremi Iudicis decretum: *Pulvis es, & in pulverem revertêris.*

u *& pulvis omnia,*

An non igitur rectè tibi de formâ corporis eximiâ ſuperbienti reſpondi, *Pulchra domus cineris?* Et hæc quidem non tuis uſibus apta, ſed hoſtium, qui in te non te, ſed ſe diligunt. Verè *domus cineris*, quæ per ſe ſola ſtando durandoque conſumitur, & in nihilum redit; neque tantum gaudii florens tulit, quantum defloreſcens horroris. Verè *domus cineris*, quæ, ne ſola ruat, improviſo funere ſimul hoſpites ſuos obruit, & vix detecta, Europam & Aſiam ruinis implet & cinere.

y *domus cineris;*

Verè igitur pomum Gomorrhæum, hoc eſt alterum è buſto buſtum.

z *pomum Gomorrhæ.*

VA-

VANITAS.

Illuſtris patria.



VERITAS.

Parit umbras.

VE-

VERITAS.

[a] *Illustris in illustri patriâ*

SI illustris tibi patria est, perque te fulges; est, quæ suas sibi laudes arroget, tuisque participet, ne dicam deroget.

[b] *nihil ab eâ lucis accipit,*

Quòd enim eam salubris aër, clari fontes, mare proximum, tuti portus, opportuni amnes, auri scatebræ, argenti venæ, incolarum numerus, substructionum moles, divitiarum copia, ac demum situs ipse nobilitet; nihil hoc tibi laudis accumulat, sed illi: quidquid verò benè gesseris, primùm quodammodò patriæ laus erit.

Testis Themistocles, testis communis encomiastis omnibus præconii stylus. quin imò, plus hîc negotii habebis, ut in lucem venias: fulgent enim minutiora etiam astra per noctem, ad solis autem radios hebet & Bootes & Lucifer.

[c] *obscurus tenebras:*

Sin autem illustri in patriâ obscurus agis, quid tibi lux illa patriæ, præter tenebras, adferat? Promptiùs in luce notaberis; claritas ipsa te prodet, præstabitque, ut latére nequeas, si velis. Ita jucundissimum tibi vitæ latibulum, ac secretus rerum trames eripietur. Quidquid ages, eris vulgi fabula, pudebitque tantorum testium. Inter tot oculos nullæ sunt latebræ.

[d] *Meliùs in obscurâ lateret.*

Multos habuit claritas magnæ urbis obscuros, quos

quos abundè claros parvi ruris obſcuritas habuiſſet. Nihil æquè maculas detegit, quàm ſplendor illuſtris.

Agè verò; quid refert, Athenienſis ſis an Seryphius, ſi Athenienſes virtute prævertis? Melius eſt ſuâ, quàm patriæ gloriâ clarum eſſe. Rectè Themiſtocles Seryphio cuidam inter jurgia objicienti, eum non ſuâ ſed patriæ laude celebrari, reſpondit: Neque herculè aut ego obſcurus, ſi Seryphius; aut tu, ſi Athenienſis, clarus eſſes.

[e] Non reddit incolã illuſtrem patria,
[f] ſed patriã incola.

Adde, quòd magna ſunt magnæ urbis incommoda. Diſtat templum, diſtat forum: illud animo nocet, hoc corpori. Diſtant opifices, atque amici, quos laborioſum viſere, negligere inhumanum eſt atque noxium. Quocumque ire decreveris, ceu peregrè profecturus, domui tuæ diſponas oportet. Quid ſi, ne aberres, ferro ac magnete iter agendum eſt? Hàc eas faciliùs, hàc rectiùs; hàc curiam, hàc theatrum, hàc macellum vites. Hi, & mille alii ſunt magnarum urbium ſcopuli, quos inter fluctuans, domum tuam, quaſi alterum orbem, petis.

[g] Magna magnæ urbis incommoda,
[h] curæ,

Vide, quas non moleſtias, quas non curas, quas non pariat umbras illuſtris patria. Habes itaque non lætitiæ materiam, ſed curarum. Dubitas? ab Emblemate diſce. Quæris cur tantas urbs, quam hîc delineatam vides, pariat umbras? Illuſtris eſt.

[i] umbræ;
[l] & quidẽ, quia illuſtris eſt.

VANITAS.

Ingenita libertas.



VERITAS.

Libera captivitas.

VERITAS.

SI quis remiges avis hujuſce, huc illucque volitantis, pennas attenderit, liberam judicet; ſin autem vincula, quibus illius præſumpta libertas adſtringitur, captivam.

m Libera eſt avis hæc, nec liberas

Quid ad hæc ais, inſolens ingenitæ libertatis præco? an huic te volucri diſparem autumas? Ego certè parem te aſſero. Liber natus ſum, inquis. Imò ſervus. Naſcendi genus omne obnoxium peccato, quo nulla gravior ſervitus fingi poteſt. Et quamvis eam, omnibus naturæ lege debitam, Virginis ad-inſtar Matris, effugiſſes; aliam tamen, ipſo nativitatis tuæ momento, incurriſti. Multum fortunæ licet in naſcentes, in viventes non minus. Sola inexpugnabilis arx eſt ſepulchrum: illic regnum vermibus, non fortunæ. Itaque limen illud ingreſſi ſoli mortalium vitæ hujus ab inſultibus tuti ſunt. Tu te liberum jactas, & ignoras, non dico ad ſepulchrum, ſed an liber hodie ad cubiculum ſis iturus? Libertas tua tenuiſsimo pendens filo, ſicut alia, quibus confidis, omnia, tremula ſemper ac caduca eſt. Non igitur, qui liber naſcitur, ſed qui moritur, liber eſt.

n ſic qui liber eſt homo,
o etiam ſervus naſcitur;
p & quidē peccati,
q ne dicam fortunæ.

Nec verò etiam liberum te dixeris, quòd nec in acie captus, nec venumdatus ſis, nec Domini nu-

r Nulla non hora ſervituti obnoxia:

tibus mancipatus. Videndum tibi, non ubi incipias, ſed ubi deſinas. Vita omnis à fine deſcribitur.

Plus dico : nulla non dies, nulla non hora fortunæ obnoxia eſt. Neſcis quâ ætate Hecuba ſervire cœpit, quâ Plato, quâ Diagoras? Numquid non Attilum Regulum meminiſti, indignum prorſus hoc ludibrio, affectum tamen? Numquid tibi recentior annis Valerianus excidit; quorum ille modò dux, hic autem Princeps populi Romani; moxque ille Carthaginenſium, hic Perſarum ſervus; ille truci ſupplicio peremptus, hic longâ & miſerâ contabuit ſervitute?

[f] *teſtes varii.*

Mitto veteres Regum caſus. Ætas noſtra quoſdam è regiâ truſit in carcerem; eumdemq; eâdem horâ & primum Regem, & ultimum ſervum vidit: ſiquidem eò quiſque miſerior ſervus eſt, quò felicior liber fuit. Noli igitur libertate tumeſcere; quoniam non ex liberis modò, ſed ex Regibus quoque tam ſubitò ſervi fiunt. Nihil ſub cælo ſtabile.

Scio, inquis, & aulam in caulam, & Principes in mancipia repentè mutari. Scio mortalium vitam omnibus fortunæ telis propoſitam: nec an quid hîc ſtabile aut permanſurum ſit, arguo: hoc proteſtor, hoc contendo, nullius adhuc me Domini catenis obnoxium.

Falleris: ſunt, quæ miſeras animas nundinentur

tur

tur (quas, heu! vili pretio mortales venditis) voluptates, fœdiſsimæ dominarum, quæ vos inenodabili nodo conſtrictos tenent: ſed, quos libertas excæcat animi, nihil niſi corporeum vident. Vnde eum, qui uni mortali ſubeſt domino, ſervum dicitis; illum verò, qui mille immortalibus tyrannis opprimitur, liberum judicatis. *t Nulla non ſubjacet peccatis anima.*

Profectò autem liberum non facit fortuna, ſed virtus. I nunc, & liberam, ut libet, captivitatem tuam vendita.



VANITAS.

Clarus ſanguis.



VERITAS.

Optimus eſt, qui ſanus.

VE-

VERITAS.

DISPUTABANT, à diebus non ita multis, de claro ſanguine Palatini duo; jamq́ue ferro decidere tentabant, quod verbis non poterant. Audit litem, audit pugnantium tumultum Chirurgus quidam, audiunt vicini; accurrunt, pugnam dirimunt: hi unum, Chirurgus alterũ (quòd eum levi vulnere adverſus mucro perſtrinxerat) in ædes quiſque ſuas abducunt. Dumq́ue corpori medicinam facit Chirurgus, recrudeſcit, inter exſecrationes innumeras, ulcus animi. Ad abeuntem itaque Chirurgus, Tantáne vos inter, inquit, tantillâ de re contentio? Sic ſanguinem ſanguini propugnando projicitis? Vides hunc, quem generoſis, vilibuſq́ue venis eduxi? Omnis propemodùm concolor eſt: & ſicubi fortè alter altero clarior videtur; non id nobilitas efficit, ſed ſanitas.

u *Stultum certamen de nobilitate,*

x *qua par ſanguini.*

Optimus eſt ſanguis, qui ſanus, cætera nugæ.

Agè porrò: an, quia vitioſus hic quem manu teneo, patris tui ſanguis eſt, peccat etiam tuus? Minimè gentium. Ecquid igitur, quia clarus hic fuit, tuum quoque clarum eſſe debere contendis? An fortè cum ſanguine virtus in poſteros tranſmittitur, non vitium?

Non hoc arguo, inquis; ſed nimiùm quàm ve-

tuſtam

tuſtam mihi nobilitatem arrogo. Eadem moneta, ſed paulò ſubtiliùs ſubærata. Non credis? Vide.

y *Clarum genus obſcurũ eſt:* Nónne jam clarum genus venditas, jam vetuſtum? Quid inde? Clarum igitur genus tuum eſſe vis, & obſcurum. Quid ita? inquis. Audi. Vetuſtas nimia claritatem rebus eripit. Quidquid longa dies peperit, longiorque auxit, longiſſima ſubruit. Quot illuſtres olim fuêre familiæ, quarum hodie

z *quin eò obſcurius, quò vetuſtius;* vel memoria ipſa obſcura eſt? Confuſa nempe in tantâ vetuſtate ſunt omnia, & perplexi ſucceſsionum rivuli, quibus ad vos hæc clari ſanguinis unda profluxit;

Turbidus ille, hic clarus; & una eſt omnium origo.

Verum eſt enim Platonicum illud, neminem Regem non ex ſervis oriundum, ut neminem ſervum non ex Regibus. Nec mirum: ingens rerum mortalium rota eſt; ſed quia tractus eſt longior, brevis hunc vita non percipit.

At avorum mihi clara proſapia eſt. Radix aruit, & floribus ejus ornari vis? Inanis ambitio.

Fieri poteſt, ut quo te nobilem fingis, eſſe deſieris; nobilior forſitan futurus, ſi ſeriùs fuiſſes.

a *ac ſemper aliena laus, numquã propria.* At avorum, inquam, mihi clara proſapia eſt. Quouſque vagaberis? De te agitur; & neſcio, quos mihi in tuum locum ſubſtituere niteris, qui pro ſe fortè aliquid, pro te nihil reſponſuri ſunt.

Verùm nobilis claruſque natus ſum, ais. Itáne

verò? claritas non naſcendo quæritur, ſed vivendo; ne dicam, moriendo. Quin profectò: benè qui moritur, benè naſcitur; nec alius quiſpiam. Claritatem naſcendi ſola mors rectè definit, perperàm gladius. Hæc cogita, & intelliges, quàm verum ſit, quod antè docebam; b *Non vivendo tantùm maximè ſed moriendo comparatur.*

Optimus eſt ſanguis, qui ſanus, cætera nugæ.



VANITAS.

Bonum nomen.



VERITAS.

Sæpè malum genuit.

VE-

VERITAS.

QVAMDIV boni nominis eſt ſubærata pecunia, omnibus eam popularis error facit acceptam: at ſimul ac fraudem, & deliteſcens ſub auro cuprum, Lydius detexit lapis; ſuffigitur illicò mercatoriæ tabernæ poſtibus, & cui communis dumtaxat Regiæ monetæ laus adhuc pretium fecerat, hanc tum hujuſce patibuli ſingularis infamia, omnibus vilem reddit ac odioſam, nullo indubiè ſupplicio mulctandam, niſi nominis olim boni gloriâ floruiſſet.

[c] *Nomen bonum pecuniæ nocet,*

[d] *ſi falſa deprehenditur:*

Audi hoc quiſquis famæ laudibus inſoleſcis:

——— *Mutato nomine, de te*

Fabula narratur. ———

Quid enim? Quiſquis ego ſum, inquis, opinio de me hominum bona eſt. Meam audi. Alter alterum decipit, tu te ipſum, omnes te. Opinio rem non mutat. Quid ſi tu malus? nónne opinio falſa eſt? Scientem certè falſo gaudere, ut emendante formam ſpeculo turpes mulierculæ ſolent, mera dementia eſt.

[e] *ſic nec bonum facit hominem opinio bona,*

[f] *ſive aliena, ſive propria;*

Atqui ego ipſe mihi bonus videor. Ergo malus es. Non ſolet eſſe virtus miratrix ſui, ſed imitatrix alieni, ſemper altiùs adſpirans, dum ſe comparat, parvi pendit. Nec ullius tanta eſt virtutis claritas,

ut eam elatio non obſcuret. Melius quidem eſſe nomen bonum, quàm divitias multas, Hebræorum Sapiens dixit; ſed & illud addidit: *Nomen impiorum putreſcet*. Quid proſunt adulantum ſuſurri, quid blanditiis aut fictionibus emptum nomen; ſi intus obſtrepit conſcientia? Numquam vel amanti credideris, vel ſperanti.

g *multò minùs adulatio,*

At ego ſic famæ confido, ut & funeri meo laudationem ſperem. Nempe philomelam ſurdo, gloriam apud poſteros, teſtimonium ab ignotis. Non refert itaque, quid de te alii cenſeant, ſed quid tu. Ignorantibus credere, quid eſt aliud, quàm volentem falli? Eſt intus in animâ teſtis incorruptior: illum interroga, illi crede. favent alii, falluntque: & dubium non eſt, quin hic te de vitiis convincet, ſi juſtus es arbiter.

h *aut fama poſthuma:*

i *ſed ſi falſa eſt,*

Quid ergo? non te dici pudet quod non es? aut non times ne dicare quod es? At meritò potes: hoc enim ſi evenerit, pejùs multò tecum agi intelliges, quàm ſi olim nominis boni gloriâ caruiſſes. Peſſima eſt optimorum corruptio. Verum itaque quod bono de nomine Lemma prædixit:

l *graviùs officit.*

Sæpè malum genuit.

VA-

VANITAS.

Lauta fames.



VERITAS.

Vermium penus.

VERITAS.

m *Si ſtultũ, modico vino è caſeo vermes producere;*

OFFENDIT me, non ita nuper, brutum ventris ſui mancipium, homo; qui, quòd me vili caſeo ingentis pretii vinum invergentem cerneret, Quid rerum agis? ait. Cui ego: Vermibus educendis, & educandis ſtudeo. Et quis pro ſucceſſu vadimonium dixit? infit. Experientia, refero. Tum ille ſubridens, Inſigne verò ſtudium, ait, inſignis experientia.

Stulta, penum ſtultâ vermibus arte ſtruis.

Ego ſanè palato meo cupedias excogitare mavelim, quàm vermibus. Itáne verò? inquam. & aliud facere te credis, cùm è cælo, terrâ, mari Sybariticas copias in famis expugnationem evocas? Certè, non vides manticæ, quod in tergo eſt. Quid ita? Dicam.

Si arte, nec omnibus notâ, nec injucundâ, vermibus è caſeo producendis, aliquot maſsici guttulas profundere, te judice, ſtultum eſt;

n *inſanum eſt, patrimonium ſanitatemq; prodigere.*

Dic, quibus Anticyris caput eſt ſanabile,

quod non Palatinum modò dolium, ſed ſæcularis inſuper parſimoniæ fructus non parcos profundit; & quod ſtultius eſt, ſibi tremulas manus, lippientes oculos, purulentas gingivas, vacillantes dentes, cretatos pedes, grave-olentem ſpiritum, pectori

pectori phthisin, hydropem ventri, mortem corpori, infernum animæ, immodicis sumptibus ambit & comparat, ut è cadavere suo vermes & producat uberiùs, & lautiùs educet? Nullus profectò. Et tamen, nisi ejusmodi te dementiæ convicero, de injuriâ mecum expostula.

Dic, amabò te, quò tibi tot obsonatores, cetarii, [o] salarii, lactarii, cupediarii? Quò cibus tot fartorum manibus, tot lixarum sudoribus irroratus? Non aliò certè, quàm ut Archi-magirus stomachus, tot sordium, tot corruptionum colluvie instructus, citiùs te in tumulo vermibus condat ac condiat.

o *in epulas omnis generis,*

Deinde, quò jentacula, prandia, merendæ, cœnæ, pocœnia, non passerina, non cynica, non statari; sed recta, sed opipara, sed Capitolina? Prætereà, quò bubula, ovilla, vitulina, suilla, aprugna, ferina, elixa, tosta, frixa, assa, salita, infumata? Quò pipiones, ficedulæ, alaudæ, perdices, sturni, capi, æsalones, phasiani, attagenes? Quò ostrea, astaci, encrasicholi, cynoglossi, scombri, salares, soleæ? Quò tot coliphia, artocreæ, streblitæ, hypotrimmata, pulmenta, illinctus, moreta, embammata, ozypora? Quò denique tam innumerus eduliorum exercitus? Quò tam immensa lancium castra? An, ut ab [p] uno milite stomacho expugnentur hæc omnia? aut ne fami domandæ desint omnis generis arma, cui unum, vel Epicuro judice, satis est?

p *superfluas,*

Quor-

q *ut lautiùs è cadavere tuo vermes alas.*

Quorſum igitur hæc omnia? Vis dicam? Timet, mihi crede, cum Apitio, inſanus fortunæ tuæ decoctor ſtomachus, ne ſi diutiùs ſupervivas, non ſuperſit, quod in cœnas ejuſmodi conferas, ſymbolum; adeóque te morti quàm citiſsimè immolatum vult: & ut ne vel in tumulo annona deſit, bellum cælo, terris, mari ad internecionem indicit, & ex omnibus elementorum ſpoliis ſaliare tropæum erigit; ut totum ſe in cupediarum penum convertat, non ſibi, ſed vermibus.

Non jocor tecum. Scis, etſi fortè diſsimules, te illi convivio præparatam eſcam, & forſitan jam cœnæ tempus inſtare; ſanè autem jam longiùs abeſſe non poſſe: nam & brevis eſt lux, famelicíq; convivæ, &, quæ menſam tuis impenſis inſtruit, mors impigra. An porrò, quia dapibus exquiſitis frueris (ut malè loqui ſoles, ſed tamen affectui tuo propriè) ideò magis tibi, quàm duro agricolæ, vermes parcent? Imò verò, ſi, Philoſopho teſte, peſſima eſt optimorū corruptio, & plures te obruent, & molliore cibo veſcentur avidiùs.

Vide modò, quis noſtrûm ſtultâ magis arte vermibus penum inſtruat; atque illud ex me gaſtrophilis tuis refer, Nihil eſſe lautam famem, niſi vermium penum.

VA-

VANITAS.

Pretiosa sitis.



VERITAS.

Accenditur, ut extinguatur.

VERITAS.

r *Accenditur viva calx ut extinguatur:*

RIDERE parabat Calcarium Canopus quidam: ſed Davum quærens, Oedipum reperit. Rogat, ecquid infusâ frigidâ calcem accendat. Vt extinguam, inquit alter. At Canopus, Quis te hanc,ait, extinguendi methodum docuit? Tu ipſe,refert Calcarius. Egóne? calcariam profectò nec intellexi umquam,nec exercui. Imò verò tu. Negas? jam fatebere; paucula tantùm, quæ te rogatum volo,reſponſo dignare.

ſ *ſic hodie omni modo*

Cur in ſympoſiis circumpotitas? cur amyſtide heminas ducis,& ſextarios? cur vini immodicus, uſque eò te ingurgitas, ut dubium ſit, an plus bibas,an evomas,an profundas? An,ut humanus videare convivis? Non id exiſtimo; niſi fortè credas, tum demum quempiam humanum cenſeri, cùm vino utitur,non ratione; cùm hominẽ exuit, belluam induit; imò infra belluas (quarum ultra ſitim potus non eſt)turpiſsimè ſe abjicit; cùm denique ſalutis ſpecie, ſe ſuoſque non minùs orbos pecuniâ,quàm vitiis obrutos,Bacchi veneno enecat. Credat hoc Iudæus apella.

Ecquid igitur ita pergræcaris? Vt ſitim extinguam; hoc natura dictat, hoc ratio. Itáne verò? Ergóne non extingueretur ſitis, niſi in orbem biberes?

beres? nisi periculo certares & amystide? nisi plus effunderes, quàm potares? nisi suum dolio munus eriperes? Vix binas amphoras capit stomachus, & cadum facis. Hoccine natura dictat, & ratio? hoc sitim extinguere est? an, ut extinguas, accendere? Tuos hîc commilitones, barathrones inquam illos, & merissimas vini spongias appello; imò guttur tuum, quod numquam non vino madet, & tamen etiam modò siti exarescit.

Clariùs tecum agam. Quid cerevisiæ siceram, siceræ mustum, musto vinum molle, molli præcium, præcio hornum, horno edentulum, edentulo Belnense, Rhenanum, Arvisium, Falernum, Iberum, Aromaticum, & his omnibus ipsum Liberi florem, non sine vitello, aut butyri turundulâ, aut obluctante gobio superingeris? Vt sitim extinguam. Vt extinguas? At accendi pretio sitis consuevit. Quis hoc asserit? Idem qui negat.

[t] *& genere potûs certatur;*

[u] *non ad extinguẽdam sitim,*

Dic, sodes; si quis te ex combibonibus tuis ad vinum non minùs nobile quàm pretiosum vocet; si ad omnia, quæ variis ex provinciis non sine ingenti sumptu deferuntur, potionum genera invitet; an non hic verè sitim tuam accendet, ut extinguat? Nega, si potes. Quid igitur aliud tantâ potûs varietate aucuparis, quàm alteram ex alterâ sitim? Hoc verò quid aliud est, quàm accendere sitim, ut extinguas? Nihil profectò. Quantò tutiùs

[x] *sed ad accendendam;*

eam unicum vini genus, illudque debile, vel dilutum extingueret? ne dicam, purus frigidæ rivus.

y *maximè cùm tabacum bibitur, & vinum adustum.*

Finio, si priùs duo te rogavero. Cur in pocœniis eliquato per ignem vini latice tibi guttur aduris, & ilia?

Cur mox à vino juvat indulgere tabaco,
Eque tubo genitas haurire & reddere nubes?

Vt sitim extinguam. Deus bone! & hoc guttur illud afferit, quod hæc immodici caloris pocula in novam continuò sitim accendunt? Sed demus hoc gustui tuo, demus affectui; utaris etiam calidis ejusmodi potionibus, ut sitim extinguas: at negare certè non potes, magis eam tantis æstibus inflammari, quàm extingui. Hoc igitur vel à gutture tuo mecum disce, evenire calci meæ, quod pretiosæ siti tuæ: *Accenditur, ut extinguatur.*



VA-

VANITAS.

Splendidum conuiuium.



VERITAS.

Omnia pompa.

VERITAS.

An ridere me deceat, an flere, multum ambigo. Vtrumque faciam, ne errem in alterutro.

z Vt in magnifico funere

Vides hæc templi ac ædium, levidensâ & holoserico prætensa limina? Vides hæc novi hominis, cui plus divitiarum, quàm generosi sanguinis, aut famæ fuit, iniquissima justa? Vides supina signa? pronas hastas? Vides equorum lugubres phaleras? Vides hoc galeæ, chirothecarum, calcarium, ensis, sagi, & insignium funebre tropæum? Vides copiosi luminis insolentem splendorem? Vides consanguineorum, vides affinium, vides amicorum frequentiam? Vides, ut ferales hi vultures, plus exuviis quàm precibus adspirent? Vides, ut inter se capita conferant, consulantque, quî rem suam commodiùs augeant, quî defuncti pia legata, quî sacrificia, quî eleëmosynas rescindant? Illorum certè judicio nimiùm animæ suæ tribuit, parum funeri, parum superbiæ.

a omnia pompam spectant, non animam:

——— *Dant scilicet omnia pompæ,*
Nil animæ. ———

Quis non mecum vanitatem hanc rideat? quis non fleat?

Verùm, est & alia risu lacrimisque dignissima, quam

quam ejuſmodi glorioſi milites ſolennes inter epulas, ne dicam, ferales inter delicias, quotidie nobis exhibent.

Fatigant precibus ſtulti ſtultæ ſollicitudinis ſervi, Proceres aliquot; & à negotiis honeſtioribus abſtractos, honorifico tædio, unum in locum cogunt. Exulant hîc leges ſumptuariæ: Taliarchæ ſunt Philoxenus, Apicius, Vitellius: ſtant Chinenſium more ſuperingeſtæ lancibus lances: diceres pyramides triumphanti ſtrui, non epulas convivæ; nec quidquam vel Archeſtrati gaſtrologia deſideret.

[b] *ſic in ſplendido convivio,*

Quorſum hæc omnia? An, ut multos ventres damnoſis ſarcinis obruant, ambitiosâ ſemper nauſeâ? At eorum plurimi aut meliùs vacui manerent, aut gratiùs domi arbitrio ſuo implerentur. Moleſtus quidem creditor venter eſt, ſed parvo dimittitur. An, ne faſtidioſa guſtûs titillatio utcumque lenteſcat? Sed copiæ ſolet eſſe vicina ſatietas, ſatietati faſtidium.

[c] *quod procul dubio faſtidium parit,*

Adde, quòd convivarum conditio querula eſt, multumque difficilis. Rarò inter illos convenit. Si tres, Satyrico teſte, diſſident; quid viginti? Vix ſine tacitis ſaltē abeunt lamentis. Illud gelidum, illud intempeſtivum, hoc lacerum, hoc crudum fuit, aut certè lautiùs condiri potuit. Verbo dicam, in viſcerationibus hiſce omnes nimium habent, & nemo ſatis.

[d] *querelas,*

[e] *obloquia,*

Quor-

Quorſum igitur, quod ubique rariſſimum, unâ in menſâ frequentiſſimum viſitur? Quorſum aurei panes, aurea obſonia, & ingens vis margaritarum aceto ſubacta, delicatiſſimis pulmentis adſpergitur? Quorſum nihil non argenteis lancibus apponitur? An quia, ut Heliogabalus volebat, rerum pretium orexis eſt convivarum? At profectò, famem cibo expleri Midas docet, non pretio. An, ut convivio gloriam quærant? Inſignis verò gloria, inſignis ambitio; coquum fieri, ut gulæ complaceas alienæ: ut uſque ad amentis impenſæ

f *damna;* profluvium prodigus, his tædio, illis riſui, tibi damno ſis.

Sed in philitiis hiſce ſolam charitatem ſpectamus, inquiunt. Veriùs caritatem dicerent. Si enim charitatem ſpectant; cur, qui à ſaturis epulonibus decidui panis fruſtulum Lazarus orat, non exorat?

g *nec pauperi patet.* Cur non ſtatim à prandio domus panditur, ut pauperi panis detur? Imò finge, poſtridie unum

h *Omnia famæ dantur, non fami, aut animæ.* aliquem convivarum tantulo egere, quanti ſua conſtitit paropſis: numquam id à convivii dominis impetrabit. Nempe non id aliorum fami præſtant, ſed famæ ſuæ,

—— *Dant ſcilicet omnia pompæ,*
Nil animæ. ———

Quis non hanc quoque gloriam rideat? quis non fleat infamiam?

VA-

VANITAS.

Frequens comessatio.



VERITAS.

Multiplex insania.

VERITAS.

i *Multæ sunt, & malæ fatuorum insaniæ:*

MENSIS est, ex quo in Morotrophio, præsente me, soluta sunt pleraque fatuorum ergastula, ut populo, qui encæniorum gratiâ frequens affluxerat, ludos darent. Deus bone! quas non ibi comœdias, quas non tragœdias, quæ non amentiæ ludibria vidimus?

l *plures & pejores comessatorum.*

Sed nihil ad ea, quæ barathrones aliquot eâdem in viciniâ, etiam id temporis, nobis exhibuêre. Variam quidem non minùs hi, quàm isti, insaniam insaniebant; sed pessimam longè comessatores. Vtrosque conferam, tu judica.

m *Fatuus utrem sordibus strangulat,*

Erat inter lymphaticos illos non-nemo, qui ingentes sordium cumulos, quos undique corrasos improbo labore congesserat, in utriculum eâ vi cogere niteretur, ut illæ, mox angustias perosæ, majore vehementiâ in apertum erumperent; & non modò ergastularium suum, sed adsessores insuper aliquot conspurcarent.

n *comessator stomachum.*

At inter hos pamphagos, plurimos erat videre, qui pecudum, qui volucrum, leguminumque cadavera, qui fruticum lacrymas, sudores, excrementa, qui terræ saniem, qui maris spumam, fungos inquam & ostrea (quibus non absimile pectoris nostri rheuma detestamur) quin etiam, qui latrinarum

narum collicias (ſic enim tomaculum, ſic farcimina, ſic apexabones, ſic inſiſia, phaliſcoſque ventres vocari merito poſſe, ratio dictat) omnibus è popinis, ſtulto planè pernicioſoque ſtudio, compararant. Vix ſiquidem illorum quiſpiam aſymbolus fuerat. Nec illud modò; ſed omnem hanc colluviem, jam aceto, oleo, cereviſiâ, vino, butyro, omphacioque maceratam, & arte & Marte exiguæ capacitatis ventriculo ſic ingerere certabant, ut in poſterum recuſans officium condi ſtomachus, ultrò promi munus invaderet; herumque ſuum, cum ceteris gulonibus, partim ſordibus, partim fœtore perfunderet.

Iſthîc phreneticus quidam, quòd amphoram ſe vellet, continuè ſibi omnis generis liquores infundi rogabat: hîc verò complures ita ſe potu ſtrangulaverant, ut niſi ſe dolia crediſſent, & vino magis parſuros fuiſſe certum ſit, & ſibi.

o Fatuus amphorã ſe credit,

p comeſſator doliũ.

Bibebat iſthîc lunaticus aquam, & vinum putabat: at hîc ebrius mortem, & ſalutem vocabat; indignè ferens, non omnes eodem ſecum ſtudio duci.

q Fatuus aquam pro vino bibit,

r comeſſator mortẽ pro ſalute.

Tentabat iſthîc alter alteri alapam infringere; ſed delirante cerebro, manus quoque aberrabat. Quid ad hæc atrabiliarius alter? non ſecùs, ac ſi alieni erroris pœnitudine duceretur, ut injuriam avertat, ipſe ſibi injurioſis unguibus faciem vulnerat.

ſ Fatuus iratus in corpus ſuũ ſævit,

nerat. Potéſtne quid ſtultius excogitari? Poteſt. Helluones hos conſule,& intelliges.

t *comeſſator in animam.* Impetebatur illorum aliquis convitiis à ſocio, cui jam vinum cornua fecerat; quodque prohiberetur animam ſuam per convitiatoris latus, non unâ morte, perimere; mox ipſe ultroneis in ſe plagis ſævire, genas convellere, ſolo corpus allidere, & quod caput eſt, neminē odio majore proſequi, quàm ſuæ ſalutis amicum. Nondum ſatis.

u *Fatuus ollam procatur,* Vidi item in morotrophio non-neminem, qui ollam, ut amores ſuos, amplexus, candidulam ſuam millies nuncupabat, licet eam pice nigram magis, ſexcenties experiretur. Nec illud modò; ſed inſulſis illius oſculis & uſque & uſque inhiabat, numquam ejuſmodi deliciarum ſatur. ſic nigricantis ſuæ Candidulæ nivibus inæſtuabat.

x *comeſſator feminam ollâ nigram magis, & candidam putat ac formoſam.* At in tabernâ diverſoriâ vidi, qui ſtatim à menſâ (ſolet enim mox Veneri facere, qui ventri) vidi, inquam, qui Blattæ ſuæ immoriebatur amplexibus,& recepto ſubinde ſpiritu, alia illi ex aliis baſiorum millia figere non deſinebat, numquam non ejuſmodi ſordium novus; ignarus tamen, tot ſe peccati maculis inquinari, quot votis, quot oſculis Blattam ſuam appetebat. Columbulam vocabat, & referebat corvum; laudabat crines, & vermiculoſi erant; frontem, & inviſibilis; oculos, & lippi; naſum,& ſimus; nares,& mucoſæ; genas,

&

& bucculentæ; dentes, & putidi; manus, & ſquarroſæ, unguibuſque promiſſis vulturum ungulis non abſimiles.

Quid multis? Iſthic amentes inconditis clamoribus impluvium perſonantes, jam coniſcare, jam vitulari, jam mutuis inequitare tergoribus, jam ad modulos cerebri, extra chorum ſaltantis, choros ducere conſpiciebantur.

y *Fatuus belluis ſe aſſimilat,*

Hîc verò geſtiebant combibones baubare cum canibus, mugire cum tauris, rudere cum aſinis, grunnire cum porcis, coaxare cum ranis, cum ſimiis denique ad craticulæ pſalterium, ad cacabi crotalum, ad naſi tibiam, barbaro ſigmate circumflecti.

z *aſſimilat & comeſſator.*

Et neget quiſpiam, frequentem comeſſationem meritò multiplicem inſaniam nuncupari? Minimè gentium. Si tamen quis infitias iverit, audiat quæ ſubjungo.

Si unum reperis inter hos pepones, qui paleâ vinctus, Herculeo ſe nodo teneri exiſtimet: reperies ebrioſorum quàm plurimos ita ſtultè comeſſandi conſuetudine alligari, ut nec prece nec pretio iis expediri poſſint: & tamen nihil, Apoſtolo teſte, peccata ſunt, niſi paleæ meræ.

a *Vterque ſe paleâ vinctum credit indiſſolubiliter.*

Præteréa, ſi apud illos invenis, qui cerebri vitio, Regem ſe putet, cùm lixa ſit; invenit & in plateis Brugenſibus Philippus, inter Flandriæ Comites

b *Vterque Regem ſe arbitratur.*

non injuriâ Bonus, rusticum non minoris insaniæ reum. Illius enim jussu lecto, vestibus, mensâ, famulitio, musicâ, ceterisque Principis deliciis inter crapulam usus, Principatum, quem tenuisse se crediderat ebrius, sobrius amissum requisivit, & doluit.

c Fatuus denique naves omnes suas putat. d comessator verò domum in navē conversam Agrigenti.

Si apud illos denique habes, qui, cum notissimo Græcis Sannâ, præ navium curâ, quam sibi falsò arrogat, verè suus non sit: habes & Agrigenti comessatores aliquot, qui, vini fraude, domum in navem commutatam sibi persuadentes, tam diu in sicco naufragium timuerunt, dum ratis sublevandæ laboribus impares, oneri somnoque succumberent.

Verùm, ut comœdiam hanc fusiùs spectes; accipe, quos, genis adhuc investibus, eâ de re versiculos cecini: sed Poëtæ compatere, dum Helluones rides.

Maßica qui sensus negat & subducere census,
Audiat hæc, pridem quæ meruere fidem.
Nyctilco potum plebs fecerat ebria votum,
Et jugi rediens iverat orbe triens:
Cùm domus hæc inter, Vertigine judice, linter,
Fitque Tarentinus ipsa platea sinus:
Nec mora; qui lætus nova surgit in Orgia cœtus,
Excutit in typhos orbe ruente scyphos;
Dumque calix fusus, jam factus Aquarius, usus

Insoliti

Insoliti plenas proluit imbre genas;
Clamat hic: Heu! fœdis quantus ruit imber ab Hœdis,
Quamque repentinas depluit aura minas!
Ergo, quod incautis suadet Tethis excita nautis,
Cùm sit vita scopus, quisque capessit opus.
Sudat hic extremos in marmore ducere remos;
Et, ferat ut quid opis, ingemit usque scopis.
Cætera at hinc pubes cernens tenebrescere nubes,
Quid nox ista trahit? quanta minatur? ait.
Euclide hic vino, quò consulat astra, camino
Emicat ut malo, sed gravis æthra salo:
Nam quocumque genas, oculorum aut flectit habenas,
Non videt ulla vagis sidera læta plagis.
Ille ut torrentem castiget transtra tegentem,
Néve stet iratæ Thetyos unda rate;
Occupat ingestâ clathrorum pervia testâ,
Et quæ damna pavet, quâ valet arte, cavet.
Tum, sibi qui sedem Vulcani fecerat ædem,
Primaque cui solùm discere cura polum;
Auribus attentis, quæ sit fiducia ventis,
Haurit, at ignotis personat aura notis.
Ergo oculi miros contorquet in omnia gyros;
Sed capit ignaros facta culina Pharos.
Nam quia vicinâ rutilat scintilla coquinâ,
Æquoris in pacem credit adesse facem.
Mox sociis, Error procul hinc, ait, hinc fuge terror;
In nostrum ecce venit stella Lacæna zenith.

Attamen

Attamen apta ſalo quæro dum ſidera malo,
Viſa graves pinus non ita ferre ſinus.
Scilicet, infeſtus dum nos circumlatrat æſtus,
Nunc ratis æqua ſolo, nunc ſtetit æqua polo.
Nec mora; deſcendit, hypogæáque ad intima tendit,
Vt ſciat, an navis fortè ſaburra gravis.
Viſa gravis nimis eſt. Quid agat? opus improba vis eſt.
Inſonat: Ad clades turba ſodalis ades.
Diſjicit illa moram, ac dimenſa ſuo pede proram,
Clamat: Vt impegit, ſi malè crura regit!
Ad quos ſecuris exercitus undique curis,
Talia cum fletu dicit, agente metu:
Hei mihi! quàm diras in nos mare deſpuit iras!
Hinc navim unda cavat, inde ſaburra gravat.
Cernitis, ut vergat puppis, noſque in mare mergat:
Ite, labore pari tradite vecta mari.
Hæc ubi; prudentem ſequitur plebs cætera mentem,
Moxque ſuum pronus quiſque capeſſit onus.
Hic menſam, hic ſedes, totas legit iſte per ædes
Scamna, plateari præcipitanda mari.
Ille timens hirtis ſcopulis occurrere ſyrtis;
Cui mare nos tradit? Quid ratis, inquit, adit?
Machina quænam illa eſt? mox alter: Diffuge, Scylla eſt;
Egreſſuſque domo cetus habetur homo.
Hos falſò potus dum ſuſcitat æquore motus,
Apparat auctores Prætor adire fores.
Hunc ubi conſpexit plebs ebria, in omina flexit,
Et

Et maris Ægæum credidit esse Deum:
Sic quoque lictores Divos putat esse minores;
Aëre nam stridens creditur hasta tridens.
Ergo statim exertis in fervida vota lacertis,
Pars velut unda tremit, pars sua fata gemit;
Frangat & ut fluctus Deus, irritamina luctûs,
Quot sitit unda neces, tot bibit aura preces.
Cernis in infernas ruat ut tua turba cavernas,
Et gemat iratis fluctibus ægra ratis?
Ecce subit plenis puppim Tethis incita venis,
Et quàm lata patet, æquore tota scatet.
O Neptune! precor, tumidum defervеat æquor;
Supplicibusque Dii mentibus esse pii.
Ridet, ubi hæc cernit Prætor: nam, qui omnia spernit,
Rideat hæc lato splene vel ipse Cato.
Ast illos, tecti sine lege, vel ordine lecti,
Quod gravis acta dies, occupat alta quies.
Hæc cerebri mœstum Bacchi cum fluctibus æstum,
Quem Potina creat, denique pace beat.

Vtrosque contuli, utrosque nunc judica; & frequentem comessationem nullo, nisi multiplicis insaniæ, pretio æstimari posse, nega si potes.

VANITAS.

Splendida vestis.



VERITAS.

Infamis gloria.

VE-

VERITAS.

Et meritò: quid enim eſt, eximio veſtium cultu efferri; niſi, cum hoc reo, de præſigni infamiæ notâ gloriari? Vt ſtigmatis, ſic veſtium parens culpa eſt. Non eſſet hic maſtigia cauterii reus, niſi priùs noxæ fuiſſet: nec primorum parentum deberet, etiam inter poſteros, veſtibus obtegi pudor; niſi crimen olim eorum oculos reſeraſſet. Et tamen inſanire jam creditur, qui ſtigmate ſuperbit; & præ ceteris ſapere, qui inſolenti veſtium luxu inſanit.

[e] *Gloria de veſtibus.*

[f] *eſt gloria de ſtigmate:*

Mulctarunt olim curioſos rerum novarum auctores exilio Græci; at Scythæ etiam morte: nos verò non modò ſolennes iſtius amentiæ ſimulacra, pupos; ſed ipſos inſuper vitiorum magiſtros, ab exteris nationibus, in patriæ noſtræ perniciem, advocamus. Quid dico advocamus? ipſo pauperum cenſu (ad quos enim ſuperflua noſtra, niſi ad pauperes ſpectant?) triobolares ejuſmodi nebulones luculenter alimus: quò commodiùs ſcilicet omnium gentium vitia cum veſtibus induamus. Infamis profectò gloria.

[g] *inſolens tamen ubique veſtium ſtudium,*

Et tamen dubites, an vaniùs hi magiſtri doceant, an diſcipuli diſcant: adeò jam nihil inter mimos, Duceſque; inter ſcorta, & matronas ad-

[h] *inſolens varietas*

ſpectu intereſt. Vbi nudum inter omnis generis materias Belgam ſtatueris, forficibus inſtrue; & tum priùs illum è voto veſtieris. Citiùs enim accommodam lunę quovis tempore lacernam feceris, quàm Belgæ veſtem. Tanta eſt illi modò colorum habituumq́ue varietas.

i *in pileis,* Si pileos ſpectas: ſunt repandi, acuti, villoſi, leves, molles, rigidi, tenues, denſi, limbis latè ſpargentibus, reciſis, mediis, fune jam neglecto, jam divite, jam nullo. Superaddunt & plumas leviculi, quaſi alis indigeant, ut ſe ſuo faſtu ſupervolent.

l *in collaribus,* Si colli lacinias intueris: exſurgunt, jacent, neglectim ad cingulũ defluunt, humeris ſtudiosè circumflectuntur, guttur ſtrangulant, tot è filo nexibus illaqueantur, ut animarum aucupio; tot plicis complicibus implicantur in cornua, ut lunaticis adaptari non dubites: in feminis verò tam manifeſtis hiatibus uberum carnes proſtituunt, ut macelli januam cenſeas, aut certò proſtibuli. Armantur in hyemem calceis pedes, chirothecis manus, ubera autem perilluſtri ſindone dumtaxat in ſpeciem: ſic ignem ſpirant, ſic urunt acriùs, & incautos, dum retibus hiſce teguntur ſimul ac reteguntur, velut ex inſidiis graviùs feriunt.

m *in thoracibus,* Si thoraces: nunc eos in orbem, nunc in acutum finiunt, ſtringunt, laxant, deprimunt, protrudunt:

n *in manicis,* manicas adhibent, jam in manum projectas, jam

in

in brachium retortas, jam tot ſuperinſtructis, ad indignationem materiæ, labyrinthis involutas, ut ſe & materiam in illis perdere voluiſſe non dubites. Quid plura? contrahunt ad incommodum, laxant ad prodigium, claudunt undique, ſecant undique; quò, veluti follibus, ventum liberiùs accipiant reddantque.

Quid de caligis dicam? videbis ad malleolos uſque pendulas, adſtrictas ſupra genua, adeò tenaciter femori affixas, ut pudorem proſtituant: pellem putes, niſi color diſſuadeat; non rarò tam fluidas, ut totam braccatam Galliam in unas migraſſe caligas facilè credas. *o in caligis,*

Quid de tibialibus? ſunt ad tibias coacta, neglectim rugoſa, ſibi mutuò inſepulta, faſciis nunc in roſam conglobatis, nunc in ſtrophei ſpeciem fluidis, & dente non modico calceos quaſi admordentibus; vela dicas, non ligulas. *p in tibialibus,*

Ad calceos quod attinet: diſplicent integri, placent mutuli; quò citiùs ſcilicet pereant, pedemque vel in hyeme refrigerent. Paucis; cuique, pro voto mentiendæ ſtaturæ, calcaneus eminet. Quin habent & ſuas ocreæ crepidas, habent & caligas, queîs troſſuli noſtri, etiam pedites, lembos & rhedas inequitant. Tam inſolens ubique de concinnando ſtigmate pugna eſt. *q in calceis,*

Quid, quòd & pretio certatur, quis amplius de *r quin & pretio certatur;*

peccati pœnâ circumferat? Belgis Britanni, Belgis Iberi, Belgis Persæ, Belgis Seres, Belgis Indi, lanificant, pectunt, nent, texunt, purpurant. Excidit nimirum Deo coccineas oves condere, quò fimum purpurâ Belgæ tegerent.

f & infame infamiâ hac non gloriari.

Plus dicam: infame est, hac infamiâ non efferri; nec insignis habetur, nisi qui ejusmodi pudoris hederas, insolentiæ vexilla, animarum retia circumfert. Et tamen quid è capsulâ & speculo firmum speres? quid ab effeminatis virile? quid à pupis solidi? quibus, si totum in vestibus ingenium est, quid exspectes à cerebro? Perperàm certè asinum à frænis aureis equum vocites.

Rectè itaque Epulonis Euangelici, etiam in vestibus, luxum damnavit, qui falli non potest, Deus: rectè veri Doctor Angelicus, Thomas, dixit: Qui gloriatur de veste, similis est glorianti de cauteriis; quia per peccatum Adæ usus vestium introductus est.

VANITAS.

Odorum fragrantia.



VERITAS.

Inanis ſaturitas.

VE-

VERITAS.

QVIN annuis invitanti te, mi Gastrologe? vocat, en, socius, vocant epulæ. Horreo. Quid? Cibos: familiares tuos scilicet, ac necessarios. Sic est. Quid ita? Satur sum. Imò jejunus. Satur tamen. Inaniis credo. Rem acu tetigisti. Tam potens enim me dapum, quas vides, nidor afflavit, ut, expleto ad naveam usque stomacho, famem omnem expulerit.

t *Pascit coquum culinæ nidor,*

Inanis profectò saturitas. Non inficior, sed primis tamen imisque communis: hi quippe tabaco vivunt, illi pascuntur odoribus pretiosis; utrique fumo, sed vaniùs illi: corporeis siquidem rebus stomachus expleri potest, non item animus. Immensi enim Dei capax, immortalis anima creatis omnibus occupari potest, repleri non potest, nedum odoribus.

u *sed inaniis.*
x *Pascunt etiam effeminatos odoramēta:*

Et tamen, quæ mortalium vanitas est, eò vesaniæ porcos suos (procos inquam, semper hîc erro) inanis illa saturitas adegit, ut eorum plurimi se potiùs, quàm illam, perdere maluerint. Quamvis enim Roma, &, quam Græcorum Romam propè dixerim, Lacedæmon, huic pesti ex Asiâ venienti, quasi armatæ hostium legioni ferreis moribus atque edictis obstiterint; ad extremum tamen mollis

y *sed vanè magis,*
z *& vitiosè,*

lis unguentorum, ſimulque vitiorum acies fefellit excubias, in Europam tranſiit, & fortiſſimas gentes vicit.

Sed quoniam ſingula proſequi longum eſt, ex uno de reliquis conjecturam facite. In medio bellorum æſtu, cruento cum exercitu unctus eſt Hannibal; penetrarunt unguenta, ſed magis vitia: itaque enervati Ducis, ac militum, quorum tam ſtupenda primordia fuerant, qualis decuit, exitus fuit. Quid plura? non-nemini vitam hic luxus eripuit, multis famam, virtutem omnibus. Sed hi nimirum communi ſæculi ſui vitio peccarunt, nos cujuſlibet proprio.

At vitia tamen perquam accommodè, inquis, celat odorum fragrantia. Benè eſt: hoc nempe nominis error augurabatur, cùm ejuſmodi ſordium procos, porcos appellavi. Sed & multum falleris: non celat vitium compoſitus odor; ſed aut conſpectum magis reddit, aut ad minus ſuſpectum. unde illud: [a]

Non benè ſemper olet, qui benè ſemper olet.

Verùm Magdalenam cum Phariſæo accuſas, inquies, & Chriſtum criminis arguis. Quin verò, & illam abſolvo, & hunc veneror. Admiſit quidem præſtantiſſimos Magdalenæ odores & unguenta, qui omnem mollitiem animorum, omnes corporis illecebras exſtincturus advenerat, Chriſtus; [b]

a *& putidè.*

b *Laudat in Magdalenâ non odores Chriſtus,*

c *ſed pietatem.* ſtus; aſt non unguento, ſed pietate delectatus eſt, ac lacrimis offerentis.

d *Deo impenſi laudabiles ſunt.* Tu quoque tuos Deo odores conſecra, & laudibus efferam: ſparge bonæ famæ odorem hominibus, cælitibus precum, & animos addam: hic enim mentem fumus paſcit, hic Numen recreat.

e *Si abſint, non quærendi;* f *ſi affluũt, non reſpuendi, ſed modici.* Imò verò, ſi tantum odores, cùm abſunt, non requiris; cùm ultrò adſunt, non reſpuis, ut Auguſto mos fuit, non arguam: at ſi in vitium uſque illorum prodigus, corpus tuum iis quaſi condis ac ſepelis, cadaver te facis, dicam, & putredinis inſimulas, ut inani ſaturitate paſcaris.



VA-

VANITAS.

Dulcis ſymphonia.



VERITAS.

Priùs fluit quàm fuit.

VERITAS.

g *Stultus est, qui aquis nomen inscribere nititur.*

NARCISSI fatum affectas, ut video, Mopse; ita toto corpore conniteris, ut tuum fluctibus nomen inscribas: sed frustrà. Nomen quidem aquis dare poteris, at non inscribere: quidquid enim characterum primus vortex excipit, secundus obruit; atque adeò, si quid fluctibus imprimis, priùs fluit quàm fuit.

Sed non ideò ad restim tua venit amentia. Complures sunt, nec infimi quidem subsellii homines, tuo cucullo dignissimi. Audiat me, quisquis VERITATEM amat, & judicet.

h *Magna quidẽ vis musicæ*

Quantum in mortales imperium habeat Musica, quamq; suavem in animis, etiam efferatis, tyrannidem exerceat; satis omnium Poëtarum calamus, satis omnium pictorum colores loquuntur in Orpheo atque Sirenibus. Sed quòd hæc ficta creduntur, accipe potiùs quæ facta perhibentur.

Terpander à Lacedæmoniis evocatus, ut flexanimis musicæ suæ modulis, exortos non ita nuper seditionum tumultus componeret; non infeliciùs diffidentium animos demulsit, quàm aures. Nec aliter sanè Cliniam Philosophum, nec Græcorum fortissimum Achillem se sibi restituere solitos legimus.

At Mileſius econtrà Timotheus Alexandrum non infrequenter, potentiſſimo citharæ ſuæ plectro, in belli furias alacriùs evibravit. Illud autem indubitatæ prorſus eſt fidei, primum gentis Hebrææ Regem, dùm illi Ieſſæus Pſaltes ſtatis pulſibus mellitiſſimos temperabat cantus, non ſemel à maligni ſpiritûs intemperiis in priſtinam ſerenitatem aſſertum.

Hæ, aliæque pænè ſupra fidem admirabiles [i] muſicæ & fidium vires, ſummos etiam magiſtratus ac Principes in tantam illius venerationem ac ſtudium impulerunt, ut in ejuſmodi VANITATIS organa fortunas ingentes, famamq; prodegerint; quo nihil eſt ſtultius. Hinc Antiſthenes, cùm audiſſet Iſmenium optimum habere tibicinem; [l] At, inquit, eſt homo nequam: non enim, ſi probus foret, tibicen eſſet. Et Philippus, intelligens filium ſuaviùs alicui ceciniſſe; Non te pudet, inquit, adeò benè canere? Quid, quòd Henricus Imperator ejus nominis Tertius, illiuſmodi morum peſtes exilio, populuſq; Ponticus etiam fuſtigatione mulctavit?

i multis illam reddidit gratiſſimam,

l paucis odioſam;

Huc ades modò Mopſe, & tuum chorœbis [m] hiſce cucullum tranſcribe: pejùs nempe inſaniunt, quia pretioſiùs.

m ſed ſtultior tamē eſt, qui muſicam perditè amat:

Tu innoxiâ dumtaxat inſcitiâ ludis, & perdis, [n] præter operam, nihil: at illi indecoros ſe putant, niſi eâ decorentur inſaniâ, quâ & ipſi jucundè pereant,

n fallit enim innoxiè, quæ fit aquis inſcriptio;

o *muſica verò blandiendo perdit:*

pereant, & alios perdant. Sic medicus nimirum ſopit antequam feriat; ſic bubulcus mulcet antè quàm mulgeat; ſic feræ cantu falluntur, & homines.

p *nec faciliùs coëxiſtunt in aëre ſoni, quàm characteres in fluctibus.*

Tu fluctibus apices committis, illi ſonos aëri: ſed habet & ſuos fluctus aër, nec minùs fluxæ fidei, quàm unda; ac proinde quidquid illi inſonueris, non ſecùs atque in aquis, priùs fluit quàm fuit.

Sunt enim ſui Muſicæ characteres, ſunt notæ; eæque, pro temporis ſpatio quo canendæ ſunt, integræ, mediæ, fuſæ vocantur: ſed, quâ ratione ita nuncupari, aut in unius ſymphoniæ modulos conſonare poſſint, non video. Militant, videlicet, hîc etiam illa, quæ de triplici temporis differentiâ, ac de ſyllabarum dimenſione pereleganter, ut ſolet, & acutè diſputat Divus Aurelius.

q *Teſtis ipſa notarum notio;*

r *teſtis triplex temporis differentia;*

Etenim (ſi per injuriam temporis, minutiſſimos etiam cujuſlibet notæ articulos continuo lapſu intercipientis, ne minima quidem ita aliquando præſens eſt, ut non veriùs ſemper abeſſe deprehendatur, quàm aliquando dicatur adeſſe) quis credat plures & medias, & fuſas, ſine quibus tamen non fit Muſica, in unam vocum harmoniam ſimul poſſe confluere? Quomodo tempore convenient, quæ tempore neceſſariò differunt? aut quomodo integræ mediæque dicentur, ſi tempore ſemper conveniunt?

ſ *teſtis ipſa ſymphoniæ ratio.*

Animet

Animet itaque citharam Apollo ipſe, lyram Mercurius, Pan arundines, tibias Battalus; chelyn Italus pulſet, panduram Hiſpanus, naulium Anglus, ſit in choraulis omnibus perfecta Muſicæ ſcientia, ſit Agathonia cantio, ſit ingenioſa modulatio, ſit gratus auribus ſonus, qui modò in longum continuo ſpiritu trahatur, modò ſummâ quadam cum varietate flectatur, nunc conciſâ voce diſtinguatur, nunc contortâ copuletur; ſit denique quidquid tanto labore, tantâ induſtriâ, tanto ſtudio, tot inventis inſtrumentis ars hominum excogitavit; numquam in ullius ſymphoniæ melos ita conſentient, ut non hoc protinus inter æquos illius arbitros conſtet, *Priùs fluit quàm fuit.*



VA-

VANITAS.

Saltandi gratia.



VERITAS.

A capite ad calcem te docet esse leuem.

VERITAS.

AGE Mercuri, quid ſibi vult illa, quæ tibi caput ſimul ac pedes diventilat, ala? An neſcis, ait, Deorum inprimis nuntio celeritate quàm maximâ opus eſſe? Hac ut pollere me ſcias, ala, quam vides, t *Alæ Mercurium levem eſſe docent:*

A capite ad calcem me docet eſſe levem.

Vix hæc cum Mercurio, & ecce troſſulus quidam (advolârat credo, non venerat, adeò levis erat,) Quid tibi cum Mercurio negotii eſt? inquit, me mirare. Illum Dii, me Deorũ magiſter Amor legatum juſſit; atque adeò eâ me corporis agilitate donavit, quâ neminem nemo præterea. u *ſic & levem eſſe troſſulum, docet* x *ſaltandi gratia,*

Sic ait; & eveſtigiò eâ ſe facilitate in gyrum agit, ut turbinem circumferri credas, non hominem. An cerebrum illius, an, quæ cerebrum obſederat, pluma ſola circumvolveretur, dignoſcere certè vix potui: utrumque credam, ne errem in alterutro. y *ſpecies,*

Mox ad numeros (aulœdum quippe idem unus & choragum agebat) quaſi in aëre pendulus, pedibus aliquoties decuſſatim vibratis, tricies ut minus, ſubſilit, caditque. Exinde molliter ſe infringens, pedeſque peregrino ſigmate velut incuriè ſinuans, circumerrat, ut ebrius; accurrit, ut avidus;

recurrit, ut pavidus; ambit, ut amans; ut amens exſilit. Denique, quidquid habuit olim Cordax leve, barbarum Pyrrhica, Sicinis inſolens, id omne quàm ſcitiſſimè ſimul & citiſſimè Pantomimus hic exprimit. Ambigeres cum Horatio,

Plus illo Caſtor ſciverit, an Docilis.

Hoc credo, nec Platonem tot motuum differentias, nec Stephanionem, nec Paridem, imò nec Thimelicos omnes tot ſaltationum ineptias calluiſſe.

Iamque deſierat illi corpus circumrotari, non cerebrum; cùm ſubitò ad me converſus, Quin artem hanc, inquit, quin ſtudium prædicas?

z *genus ipſum,* Egóne inane ludibrium, honeſtis inviſum oculis, viro indignum prædicem? Ecquid, obſecrò, in choreis, quibus animorum volubilitas corpora ſecum volvit, laudabile? imò quid non ſtultum, & inſolens? Et te ipſum quidem ſtultitiæ tuæ judicem volo.

a *ridiculum prorſus,* Finge te choream cernere, neque citharœdum audire, atque ita ſtultas mulierculas, & viros mulierculis molliores, in ſilentio circumferri, redire, plaudere, ſubſilire: quid, quæſo, umquam abſurdius, quid inſanius vidiſti? Nunc motus incondítos cytharæ ſonus, aut teſtudinis (hoc eſt amentia una aliam tegit) atque adeò & honeſti magis audire volumus, & ſapientes: ne dicam choreas illas inſidioſum

insidiosum speratæ Veneris esse præludium. Circumducuntur nempe sono stupidæ puellæ, urgentur, stringuntur, atque urbanitatis specie atteruntur, liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ volant voces: pedum strepitus, cantûs lenocinia, & quæ communiter his insidiis eligitur, hostis pudicitiæ, & amica scelerum nox, ludi tegmine crimen obnubunt. Vnum hoc addo, quò cetera faciliùs capias: Tolle libidinem, & choream sustuleris.

b *periculosum.*

c *parùm honestum.*

Tum ille, Mittamus hæc, inquit; & quid tibi de ea, quâ præcellere me notasti, saltandi gratiâ videatur, nunc refer. Dicam:

A capite ad calcem te docet esse levem.

Vix hæc ludio meus audiit, & abiit, avolavit inquam: fallor, levior erat, evanuit.



VANITAS.

Secura quies.



VERITAS.

Ipsa quies vitium est.

VERITAS.

QVID otium, quid quietem prædicas? illud vitiorum pater, hæc mater eſt. Laborem quidem amas, ſi juſtâ quiete gaudes; at ſi nimiâ, vitium; ſi continuâ, mortem. Brevis enim quies nô modò neceſſitatis eſt, ſed etiam virtutis; ſi modò honeſti laboris filia ſimul ac mater eſt: at ſi, deſidis animi indulgentiâ, plus æquo ſuccreverit, in vitium degenerat, mox etiam, ſi uſui magiſtro credimus, in manifeſtam perniciem.

d *Quies immodica vitioſa,*

Otium nempe in ferro rubiginem, in ligno cariem, in panno tineas, in domibus ruinam, in terrâ ſterilitatem, in aquâ putredinem, in aëre peſtilentiam generat: quid non faciet in homine?

e *& ubique noxia,*

Non multis opus eſt. Vt in horologiis, aptoque carnibus aſſandis veru, ſic in homine *ipſa quies vitium eſt.* Illic enim carnes vitiat, iſthîc horas, hîc animam. Vis paucis plura?

f *ut in veru & horologio, ſic in homine:*

Otium naturæ pudor eſt, ſentina familiæ, hoſtis artium, magiſter ignorantiæ, pater inopiæ, curarum prodromus, memoriæ ſitus, nox ingenii, peſtis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitiæ, virtutis exilium, vitiorum hoſpitium, Angelorum labor, dæmonum præſidium, animæ proditor, terræ probrum, cæli dolor, Numinis odium,

g *omne vitium complectitur;*

hominis vivi ſepulchrum,mortui barathrum.

Et adhuc otio ita gloriari lubet, ut nemo te non modò extra tectum, ſed nec extra lectum quidem hybernis menſibus videat? An ergo vel unus omnium,quos recenſui,titulus placet? Abſit, ut eò te dementiæ adductum credam. Quid igitur in otio, quid in quiete tantopere quæris? Nullis curis,nullis laboribus fatigari. Falleris.

Nihil agendo,aut exitii manifeſtus es,aut laboribus & curis magis obnoxius. Ita ſiquidem homini naturâ comparatum eſt, ut quidquid agere nititur, quaſi adverſo æſtu lembum ſubigere cogatur; atque adeò, niſi ſi extra portum quietem ſperat, continuus in altum relapſus curas illi intendit, & periculum: ſin verò in ſolo portu quietem,quærit etiam laborem. Adverſo enim flumine non procedere,recedere eſt.

h nec curas tollit, ſed auget.

Quid hîc igitur te recreat? Somnus, inquis, facilis,diuturnus, placidus. Glirium deliciæ ſcilicet, & mortis imago, cui facilè ſuccumbas, nec ullus eripiat; quæ te ne ad momentum quidem tui ſimilem eſſe ſinat; ſed ſemper amplius bruti habere cogat,quàm hominis: quin,ſi placet,mors ipſa: guloſi quippe, libidinoſi, & iracundi brutis animantibus conferri ſolent, vivis tamen; at ſomno continuo ſepulti, mortuis tantùm. & hoc inſoleſcis?

i Somnus immodicus gliriũ deliciæ,

l brutus potiùs,quàm humanus;

m quaſi mors ipſa;

Adde,

Adde, quòd habet & ſuos quies tumultus, habet curas, habet & lacrymas. Verùm quies, inquis, ad laborem neceſſaria. Fateor; ſed interrupta, ſed brevis: nec ulla profectò acrior altiorq́ue cogitatio, quàm nocturna, nec ulla pars temporis ſtudentibus aptior. Sed vos ea ipſa, quæ Deus, aut natura, aut ars aliqua ad obſequium dedit, in veſtrum dedecus damnumq́ue convertitis; potum cibumq́ue ad ebrietatem & crapulam, valetudinem ad voluptates, formam corporis ad libidinem, robur ad injurias, ingenium ad fraudes, ſcientiam ad ſuperbiam, eloquentiam ad diſcrimen, veſtitum ad pompam, otium & quietem ad vitium, ne dicam ad exitium.

[n] *nec neceſſarius, niſi modicus.*

[o] *Sed abutimur omnibus.*

Horologium hoc itaque conſulite, conſulite veru; & mox feliciùs verum edocti exclamabitis: *Ipſa quies vitium eſt.*

VA-

VANITAS.

Frequens lusus.



VERITAS.

Temporis jactura.

VE-

VERITAS.

QVID horologia tempori-perda, quid clepsy-dras abjicis? Tempus & curas fallo. Imò te ipsum, dum, quod artibus omnibus pretiosius est, & nullis omnino reparabile, tempus perdis. Artem labor exiguus reddere amissam potest, tempus nihil. Accedit, nec artibus ipsis uti quemquam posse, si tempus deest. [p] *Mala clepsydra jactura;*

Deus bone! momentum animi causâ perdidi, & jam horam integram vapulo. Væ illis, quibus hora quælibet non uno lusu prodigitur! [q] *pejor temporis.*

Væ profectò! Vt enim nihil adhuc de inæstimabili, quam faciunt, temporis jacturâ dicam; quid, amabò te, in ludicris hisce melioris vitæ latrociniis masculum est, quid honestum? Quid sunt illæ, quæ jam nullius non manibus teruntur, lusoriæ paginæ? Illusoriæ nugæ. Pueros ridemus, si nullis sumptibus frivolas è chartâ domos ædificant; & in viris feminisque probamus, si chartis ejusmodi pecunias prodigunt, & domos destruunt? [r] *Nihil masculum, nihil honestum* [s] *in chartis lusoriis,*

Quid pila? Clamandi saltandique ludibrium. Quid alea? Fortunæ ludentis area. Quid calculi latrunculi? Simiæ studium. proprium siquidem est simiæ, miscere calculos, transferre, posti illidere, insultare adversario, collisis dentibus fremere, ca- [t] *in lusu pilæ,* [u] *aleæ, & latrunculorum;*

put ſcalpere, ungues rodere, ad ſummam, omnia facere quæ videntibus riſum excutiant. Et quid, precor, horũ omnium ludiones noſtri omittunt; dum ita luſu torquentur, quaſi ab illo, aut ipſorum, aut publica ſalus pendeat? Multi, credo, prælio vincerent, ſi, quam ligneis eburneiſque latrunculis ſolent, veris militibus curam impenderent.

x *ſed vana omnia.*

Denique quid ludi omnes? Nihil profectò, niſi pueriles ineptiæ, curæ ſupervacuæ, ſtulta gaudia, iræ ridiculæ, furta pecuniæ, & quod caput eſt, temporis; plus dico, ſalutis.

y *Succenſuit Alexander tempus artificiosè etiam perdenti;*

Succenſuit Alexander ei potiùs, quàm ut temerè ſperatum præmium largiretur, qui grana ciceris per ocellum acûs, quoties vellet, eminus trajiceret; quòd nimirum non tam laudandam hominis induſtriam, quàm damnandam inutilem pretioſi temporis jacturam cenſeret.

z *Plinius Major otiosè obambulanti.*

Nec aliâ ſanè de causâ Plinius Major nepotem ſuum ambulantem videns, Poteras, inquit, has horas non perdere. Nam qui lecticâ vehebantur, aut annotabant aliquid, aut recitantem audiebant; quorum nihil ambulanti licet.

a *Quantò magis corripiendi luſores temporiperdæ;*

Hæc ſi in induſtrios, aut otioſos iſti; quid ni ego ludiones illos arguam, qui tempus, quod vitæ meliori, imò æternæ impendere poſſunt, luſibus, ſi non inhoneſtis, damnoſis certè dilapidare contendunt; quaſi tam ubere illius copiâ opprimantur,

tur, ut perditos ſe exiſtiment, niſi tempus perdant. Cùm tamen Citticus ille Zeno olim dicere ſit ſolitus, nullius rei penuriâ magis homines laborare, quàm temporis. Cui Democritus, Theophraſtus, & Varro conſonant, dum ajunt, Nihil temporis impendio pretioſius, nihil jacturâ gravius reperiri. *b quo nihil carius.*

Tempore ſanè nihil doctius, nihil utilius, nihil carius. Docet omnia, comparat omnia, & unum eſt, quod nec gratiſſimus quidem reddere poteſt. Illius igitur jacturam quærere, inventam jactare, quæ demum amentia eſt? Quod flens dico, communis. Quem enim nunc mihi dabis, qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem æſtimet, qui ſolum tempus noſtrum eſſe conſideret, cetera aliena? *c Quanta igitur inſania, de temporis jacturâ gloriari;*

Et interim tempori-perdæ hi noſtri, Libet, inquiunt, ludere, donec hora prætereat. O! donec hora prætereat, quam ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam miſeratio conditoris indulſerat. Sed veniet aliquando dies illa, veniet hora, quâ intermortuis ultimiſque vocibus, lacrimis, ſingultibus cum Chryſaorio inducias Deum rogabunt, Vel uſque manè, nec conſequentur. *d quod ſaluti indultum, e & poſteà requiſitum fors deerit?*

VANITAS.

Fallax alea.



VERITAS.

Fallax uſura.

VE-

VERITAS.

NVLLA felix uſura eſt, nulla felix alea. Commodo tibi eſſe velle videtur fœnerator, & damno eſt; divitias alea dare, & eripit. Tuum credis, quod exactor hic obtulit, & alienum eſt, itaq; uſuram hirudini pendis, quaſi de alieno. Tuum quoque reris eſſe, quod talus indulſit; ſed mox exactor hic improbus à te repetet, quod ſuum eſt; quin & de tuo adjicies, &, tamquam in ſomnis, felix eſſe deſines.

f *Fallit uſura, fallit alea;*

g *& quod donat, repetit cum fœnore:*

Cùm enim nulla ſit ſtabilis pecunia, ſed ſuâ rotunditate verſatilis; tum illa præcipuè, quæ teſſeris quæritur. Taxillorum ludus infelix eſt omnibus: nam & qui perdit, affligitur; & qui vincit, lucri illecebrâ in inſidias trahitur. Si enim, qui talis ludunt, omnes perderent, nemo umquam luderet; nunc lucrantur aliqui, ſed lucrum illud arrha damni eſt. Magiſtros odit hæc fortunæ magiſtra, hinc nudos videas ſemper; nec ullo tamen in campo magis imperat fortuna, quàm in pyrgo. Volvitur continuò fundatarum ſtatus urbium, & ſtabiles taxillos fore tu ſperes? Crede mihi, volventur aſſiduò, & ſecum in lacrymas gaudium tuum volvent. Quid enim aleæ ludus, niſi patrimonii vorago, famæ buſtum, ſcelerum ſtimulus,

h *infelix eſt omnibus,*

i *etiam peritiſſimis:*

inferni via? Ne fingere me autumes, exemplis rem accipe.

l *Perdit patrimoniū,* Fuit olim, qui ſeſqui-horæ ſpatio hoc luſûs genere ſedecim aureorum millia dilapidaret; fuit, qui quadragenis HS. in punctum luderet. Quin Germani adeò quondam teſſeræ dediti fuerunt; ut noviſſimo jactu de libertate contenderent. Recentius eſt, quod Paſcaſ. juſt. lib. primo de Aleâ refert.

m *libertatē,* Barcinone, inquit, propoſitâ ex publico mediocri pecuniâ, eâ lege, ut aleatorum, qui vinceret, eam tolleret, & qui amitteret, remo ſerviret; maximus repentè remigum numerus ſubitâ in neceſſitate conflatus eſt.

n *famam,* Nec libertatem modò prodigit alea, ſed etiam famam. Sic inventus eſt (ô infamiam!) qui teſtamento religiosè caverit, aut veriùs, impiè, ut ex oſſibus ſuis teſſeræ fierent; cute verò & membranis menſa, alveolus fritillaque, quantâ fieri poſſet diligentiâ, contegerentur. Sic Philibertus Aurantius, cùm ſua luſu decoxiſſet omnia, ad extremum etiam militum ſtipendia luſit; atque exinde rebellionis jam conceptæ metu, & urbem, & victoriam, ſummo cum dedecore, hoſti ceſſit.

o *corpus,* Plus dico; etiam vitam teſſera ſurripit. Vt enim nihil de nato pluries ex aleatorum contentionibus duello proferam, Caligula, ne pecuniæ deeſſent

ſent in aleam, Gallos cenſeri juſſit, eorumq́ue ditiſſimos trucidari.

Nec in corpus modò peſtis hæc injuria eſt; animam petit, animam perdit. Sic Philippi Francorum Regis tempore aleator quidam blaſphemus in Galliâ, ſic Scheltorff & Tyemo in Germaniâ, diabolo in prædam ſubitò dati ſunt. Ætate verò noſtrâ Dux quidam Hiſpanus, Bravo nomine, repentè ab invisâ manu ad tabulatum uſque ſublatus, uſuram pendere timuit, quam meritò fœnerator talus exigebat. *p animam,.*

Nec ſatis, etiam Divos perdere nititur. Tunicam certè Chriſti inconſutilem diviſit, ac perdidit, & Lovanii patientis Chriſti vulnera novo quaſi ſanguine & dolore perfudit. *q quin & Deum perdere nititur.*

Quid multa? ſedecim aleæ vitia Hoſtienſis enumerat. Antoninus tot eſſe credit, quot puncta; ego innumera. Nec mirum; inventam à vitiorum omnium parente dæmone Plato ipſe exiſtimat. *r Multis vitiis obnoxia,*

Et miramur adhuc eam humanis diviniſque legibus vetitam? Miramur Agarenos, hac ſi luſerint, primùm ignominiâ, deinde ſupplicio graviore mulctari? Miramur Ruffum, Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani nepotem, eam ob cauſam æternis cruciatibus mancipatum? Minimè verò. *ſ divinis humaniſq́; legibus prohibita.*

Finio itaque, & unum te rogo. Hæc tibi cùm evenerint omnia, aut certè cùm à tergo jam fuerint;

rint;

rint; cùm patrimonium, cùm famam, cùm vitam, cùm cælum, veriùs fallax uſura, quàm felix alea, pænè perdiderit; felicem tunc illam credes, an fallacem? Fallacem opinor. Ego verò malim hoc modò te credere, quàm olim experiri. Vis remedium? Fallacem nunc cenſe, ne tunc ſentias.



VA-

VANITAS.

Equorum genus omne.



VERITAS.

Quot genera, tot pericula.

VERITAS.

t *Nulla non navis periculosa,* QVOT navium hîc vides genera, tot vides & pericula. Sit enim acatium, ſit lembus, ſit celox, ſit actuaria, ſit corbita, ſit dromas, ſit myoparo, ſit liburnica, ſit phaſelus, ſit præſidiaria, ſit prætoria, ſit denique portentoſum illud Indici navigii genus (*caracas* vulgò nuncupant) quo te

Infidis confidis aquis, fateare neceſſe eſt,
Quòd tribus aut quatuor digitis à funere diſtans,
Sæpè minùs, titubante nates mors viva ſepulchro.

Hoc ſi de ligneis equis verum eſt (ſic enim Dionyſius, aliiq; Poëtæ naves vocitant; ſic Mythologi omnes equum illum Trojanum, non equum, ſed navem fuiſſe exiſtimant) quid ni illud ipſum de vivis iſtiuſmodi brutis aſſeram? Aſſero enimverò, &, ne qua veritati fides abrogetur, doceo.

u *nullus non equus,*

x *cujus cujas ſit,* y *omnium vitia, & pericula.*

Sunt inter equos Hippobatæ, Niſæi, Odryſii, Friſones, Dani, Angli, Britones, Iberi, Neapolitani, Pſylli, Sacæ, Tartari: ſed horum multis vitio eſt patria, pluribus ſpecies, omnibus periculum. Hi enim ſociis infeſti ſunt, illi nimiùm amici, alii mordaces, tortores alii, dyſgargales, refractarii, calcitrones, ſternaces, ſuſpicaces, alii pavidi, κωδωνωφαλαρόπωλοι, ſuffoſi, trabeati, tranſtrabeati, ſuſpirioſi, ὑδροπτώσιμοι, cernui; nec ullus omnibus

adeò

adeò numeris abſolutus, ut non habeat, quo Dominum ingratus exanimet.

Ille ſanè, ſi otio innutris, inſoleſcit; ſi labori, fatiſcit: hic, ſi frænare vis, mordet; ſi aſcendere, calcitrat: iſte, ſi via lutoſa, ceſpitat; ſi ardua, ſuſpirat; ſi præceps, labitur: alius, ſi properandum eſt, dormit; ſi ſaltandum, hæret: alius, ſi pugnandum, trepidat; ſi in turbâ, turbat; ſi extra, torpet: alius, ſi latendum, fremit; ſi modicâ corporis inflexione vulnus declinandum, ſtupet; ſi ſubſiſtendum, fræna mordicùs rapit; ſi fugâ ſaluti conſulendum, deficit.

Et ut tales non ſint tui, ipſa certè equitatio non minus habet periculi, quàm maris agitatio. Hippocrate enim teſte, caput malè afficit, ſenſus hebetat, oculos, renes, thoracem, pulmonem offendit, totumque hominem adeò exſiccat, adeò extenuat; ut his affectionibus nonnulli in manifeſtum vitæ periculum venerint: ne dicam, quot luxationes, quot oſſium fracturæ, quot membrorum diſtortiones ſæpenumerò naſci poſſe credibile eſt, dum brachia, dorſum, coxæ, & crura numquam non ſupra modum laborant.

[z] *Quin equitatio ipſa periculoſa:*

Non periiſſet profectò tam immaturâ morte Hippolytus, niſi ſuſpicacis equi vitio, quæ diutiùs vivere merebatur, caſtitas cecidiſſet; nec tam infauſtâ Licinius, Theodoricus, Carolo-mannus,

[a] *teſtes equi paricidæ:*

Fabius Pepulus, niſi hunc mordax, illos refractarius, opinione citiùs, crudeliter ſuſtuliſſet.

b *bhari tamen, & cari,* Et hoc obſequioſum illud fidumque animal eſt, de quo tam multa multi ſęculi noſtri Philippi, animal nobile, regium, optabile, dignum quod enormi pretio comparetur, & curâ majori, quàm vix homini impenderis, nutriatur; ne dicam honoribus afficiatur etiam divinis.

Quis enim neſcit Bucephalum talentis tredecim, id eſt ſeptingentis ſupra ſepties mille Philippicis emptum? ut taceam etiam viros cetera ingentes, hujus bruti ſtudio uſque ad ludibrium ita captos fuiſſe, ut neceſſaria ſibi ſuiſque detraxerint, quò ſupereſſet, quod comparandis alendiſque peſtibus hiſce prodigerent.

c *etiam ad amẽtiam uſque,* Quis non audivit Italum quemdã, ut fortunæ, ſic ingenii non mediocris virum, ægrotanti equo aureum pulvinar, ac ſericum cubile ſubſtraviſſe? ter quotidie ſervorum manibus vectum (podagrâ quippe laborabat) illi ſuſpirantem, atque anxium aſſediſſe? blandi murmuris ſolamen, pharmacorũ genus omne, Medicorum copiam (quod Lazaro languenti deneges) ſollicitè impendiſſe? Fabulam fortaſſe poſteritas vocet, ego rem certiſſimã ſcio.

d *& quaſi idolatriã.* Quis non legit, Alexandrum Macedonem, & Antoninum Verum mortuis equis tumulum, & hunc etiam vivo ſimulacrum aureum dedicaſſe?

Vſque

Vſque adeò chara ſunt homini pericula ; imò quòd ad tempus obediant, ne pericula quidem eſſe credimus. Sed ſi illi, quæ errare non poteſt, Providentiæ credimus, credunt aliquantiſper homini, quam illi debent, noxam, pericula non remittunt. Qui enim amat periculum, peribit in eo.



VANITAS.

Venandi ſtudium.



VERITAS.

Dum captat capitur.

VE-

VERITAS.

AVdiat me, quiſquis, ut Flaccus ait,

Gaudet equis canibuſq, & aprici gramine campi,
Vtilium tardus proviſor, prodigus æris.

[e] *Venator, ut cancer, prædo & præda:*

Sicut enim

Imprudens capitur, dum captat hiantia cancer
Oſtrea: ſylvarum prædo ita præda canum eſt.

Miratus es non ſemel, ut arbitror, quid cauſæ fuerit, cur ingenii tantum-non divini vir Ovidius, Actæonem ad ſolum nudæ virginis conſpectum, jam cervum ex homine, ſuiſmet canibus prædam fecerit. Dicam. Vt in te fieri diſceres, quod in alio fingi videras. Actæon venator es; nemus, ipſa nemorum ac venantum præſes Diana; nudum prædâ nemus multâ cinctus indagine viſitas? mora nulla; quaſi feram inter feras induens, & ſtudio venationis, ac ſumptibus hinc inde diſtractus, totus abſumeris. Nega, ſi potes.

[f] *hinc Actæonĩ ſimilis.*

Multo cum ſtrepitu ante diem, quietem ſomnumque fraudantes, ſurgitis, & obliti melioris negotii, quòd unius prædulæ (Deus bone, quàm incertæ!) gratiâ, feris, ac canibus, & volucribus convivere infeliciter placeat, dies integros jactamini ſtagnis, ſylvis, ac vepribus, implentes cuncta clamoribus diſſonis, & incondíto ululatu.

[g] *Vanus illius labor.*

Sed

Sed alata, ſed fugax voluptas hæc veſtra eſt; ac proinde, quid tardi à velocibus, quid implumes à volucribus prædæ rectè ſperetis, non capio; niſi illud forſan, quod apud Horatium

h & noxius famæ,

Gargilius, qui manè plagas, venabula, ſervos
Differtum tranſire forum, populumque jubebat;
Vnus ut è multis, populo ſpectante, referret
Emptum mulus aprum.

Serò autem, re veluti benè geſtâ, domi ſedetis altercantes, quàm benè vel avis hæc volaverit, vel illa digeſſerit; quot ſint caudæ, quot alarum plumæ ſuperſtites, quot emiſſæ: quàm ſagax Lyciſca, quàm præpes Vmber: additis, & laniatæ prædæ paululum, & ſudorem, & pulverem, laceras quoque, & pænè adhuc pendulas à vepribus veſtes, foſſas ſaltu parum felice tranſmiſſas, miſeram denique perditæ lucis & censûs hiſtoriam. Inſigne profectò tam gravis impenſæ, tam difficilis operæ pretium. Damnoſa voluptas, quæ prædas agere ſtudentem, prædam facit ſpoliatum omnibus, etiam mente. Sed ne quis fortè infitias eat, exemplo rem adſtruo.

i corpori, l tempori, m cenſui,

Fuit, ut Hiſtorici referunt, olim Mediolani Medicus in curandis lunaticis, aliiſque quos atra bilis mentis impotes fecerat, nemini ſecundus. Ædes illi erant ſtagno lepido magis quàm limpido celebres; in illud ſiquidem, quotquot ejuſmodi fungos

n menti.

fungos ac pepones ſanandos acceperat, hos crurum, illos lumborum, alios collo tenus, ſingulos pro dementiæ modo ac genere, tantiſper mergendos curabat, dum pœnæ veriùs quàm medicinæ viribus, in priſtinam ſerenitatem correcti, & aquis abſolverentur & clathris.

Accidit porrò, ut horum quiſpiam, qui jam præ ceteris, minoris ſaltem inſipientiæ ſpem facere videbatur, dum abſente Medico per feneſtram, ut poterat, publico fruitur, equitem videret, non ſine ingenti canum hominumque ſtrepitu, jam accinctum venatui: ad hunc itaque Moroſophus, Hem! amice mi, inquit, ecquod te dorſo vectitat animal? Miratus ille primùm hominis inſolentiam, ſuſpexit indignans; ſed, quòd lepôris aliquid ſperabat à capite quod non illepidum videat, Equus, refert. Et quod tu manu vehis? Accipitrem. Sed rurſus ille: Quas ponè te belluas video? Canes. Quos homines? Venatores famulos. Quis annonam accurat omnibus? Præter me, nemo. Iejunam exiſtimo. Imò lautam, & quæ in annos ſingulos mihi ſtet aureis non minùs ducentis. At quorſum hæc, obſecro? Vt è ſylvis & aëre prædas agam. Multáſne menſis aut annus numerat? Non admodum. Et cujus, oro te, omnes pretii? Aureorum fortè duodecim. Vix ſemi-ſanus hoc audiit, & mox ad equitem, Per Deum, inquit, amice mi,

hinc confeſtim te proripe; ne ſi, qui ædes has incolit, Medicus, te redux offenderit, ut amentiorem ceteris, quos mecum curat, inſanis, totum te, quantus quantus es,in lacum præcipitet.

Riſit inſanum eques, riſit equitem inſanus, & ridendo ſimul ac inſaniendo ſapienter edocuit.



VA-

VANITAS.

Famulorum turba.



VERITAS.

Domesticus hostis.

VERITAS.

o Servi, ut vermes;

NON credis? ad vermes hos provoco: nihil enim illos inter & ſervos intereſt; quàm, quòd illi naturæ vitio noceant, hi animi.

p hi pomum in ſe maximè beneficum

erodũt ac deſtruunt,

Etenim, ut nihil in vermes hoſce liberalius, quàm pomum, quod etiam ſeipſum exenterat, ut illis de domo, de veſte, de cibo, quàm lautiſſimè proſpiciat: ſic pleroſque dominorum reperias, qui, ut famulitio benè ſit, ne dicam ſplendidè, aut ſe ipſos turpiter eviſcerant, aut penitùs perdunt.

q illi Dominum:

Econtrà verò, ſicut pomum nihil ingratius experitur his vermibus, qui tam benignum hoſpitem non modò produnt, & rodunt undique, ſed dilacerant prætereà, & medullitus exedunt: non aliter ſi, qui ſervorum mores ſunt, rectè expenderis, nihilo minùs illos dominis infeſtos reperies, imò & hoſtes. Argumenta requiris? hæc habe.

r produnt omnia,

Quot ſervorum linguæ, tot præconum tubæ: quot aures atque oculi, tot domorum rimulæ, quibus illa etiam, quæ in fundo ſunt, facilè detegantur: pertuſum quippe vas ac futile, ſervilis animus eſt; quidquid infuderis, mox effluit; utinam non pejori, quàm infuſum fuerat, colore & odore? Aures certè habent non obedientis emblema, ſed explorantis, lubrica guttura, ventres profundos, vora-

voraginem perpetuam,& peſtem penu;quin quaſi ad vaſtandum conducti, non tantùm devorant universa, ſed ſpargunt, gulamque largitionibus adjuvant, de alieno prodigi, de ſuo avari. Ad extremum, qui clandeſtinas domi agebant, ubi limen exceſſerint, cum inviſis Dominis apertas inimicitias linguis agunt,armis acturi, ſi liceat: &, ſi quis horum fortaſſe convitiis abſtinet, non id prioris amor domini, ſed ſequentis timor efficit, cui ob hoc viles ſuſpectique fieri metuunt.

s prodigunt,

t arrodunt.

Sint itaque apolides,hercitæ, Meſonatæ, capſatii,vernæ,helotæ,thetæ, ſint callicyrii, ſalutigeruli, trapezopœi,grammatici,novitii,veteratores, actores,mediaſtini; hoc dico, quot ſervis cingeris, tot hoſtibus obſideris, & hoſtibus quidem, quo nihil durius eſt, domeſticis, à quibus nequeas cavere; qui latebras domûs introſpiciant, prodantque conſilia; quique præter furta continua,quod nulli accidit obſeſſo, veſtiendi tibi interim paſcendique ſint,inque ipſis penetralibus ſemper habendi.Durum ſanè ac dubium belli genus, pace carens & induciis, ubi,ſub tuiſmet ſignis, hoſtilis exercitus muros habet.

u Quales quales ſint,

x pejores ſunt hoſtibus:

Eminet quidem in illorum ingreſſu ſubmiſſio, eminet rectè ſerviendi votum, eminet rerum omnium promiſſa ſcientia: ſed in progreſſu horum vicem ſubeunt intolerabilis arrogantia, perfidia,

y initiò apti & prompti ad omnia,

ſtupiditas, torpor, lites, diſcordiæ, bella, quorum Dominus vel ſpectator indecens, vel laborioſus compoſitor ſit, oportet; interque reos & accuſatores medius, ſervis ſuis inſerviat.

z *poſteà ad nihil:* Si verò illos ad ſe aliquando pudor aut neceſſitas reflectit, ut ſe ſervos eſſe meminerint; quàm ſuperbè, quàm querulè, quantoque cum murmure ſerviant, quis ignorat? Vt meritò poſſit non pretio emptum modò, ſed gratuitum quoque ſervitium hujuſmodi faſtidiri.

a *& tamen nos perdimus, ut illos alamus.* Et tamen, quæ mortalium hoc ævo dementia eſt, in hoc maximè divitias optamus, in hoc terras & maria pererramus, in hoc aurum cumulamus & ſpargimus, ut acies hæc domeſticorum hoſtium denſior ſit indies, atque munitior. Tot ſcilicet noſtra cuſtodibus indiget arrogantia, ne, quod nos perdit, effugiat tot hoſtibus Dominus, ne vel ſui ſit dominus.



VA-

VANITAS

Bonus Dominus.



VERITAS.

Modesta molestia.

VE-

VERITAS.

Qvis neſcit ea, quibus perduelles angelos Deus addixit, ſupplicia, omnibus, quæ humanum genus infeſtant, calamitatibus longè longiùs antecellere? nullus tamen, ut mea quidem fert ſententia, adeò vel mentis vel ſensûs egenus eſt, ut hominem eâ de causâ velit

b *Non omni malo liber eſt, qui ſummo caret:*

——— *omni ex parte beatum;*
Cui malum crevit unicum in omne malum.

Quidquid enim ærumnarum curioſa quondam Pandoræ pyxis fabulosè terris immiſit, id omne Fatalis Evæ cupiditas in exitium orbis terrarum, quàm veriſſimè, nobis profudit è pomo.

c *nec omni modeſtiâ, qui maximâ;*

Hinc variæ varios exercent moleſtiæ; moleſtiùs quidem aliquæ, modeſtiùs aliæ, ſed omnes moleſtè: ac ut multæ animum afficiunt, plures corpus, ſic nulla non hominem. Turbat videlicet animum ira, libido faſcinat, excæcat ſuperbia, ſtrangulat avaritia, gula ſuffocat, rumpit invidia, exanimat ſocordia. Sed an quis idcircò eum omnibus immunem vitiis autumat, quem harum minima peſtis affligit? Minimè verò.

Sic prurit impetigine corpus, maculatur varis, alopeciâ depilatur, aſperatur elephante, phthiriaſi verminat, elumbatur nephritide, podagrâ claudi-

cat,

cat, torquetur volvulo, eviſceratur diarrheâ, alget quartanâ, ardet peſtiferâ, phthiſi cõtabeſcit, tumet hydrope, ſpaſmo contrahitur, ſolvitur paralyſi: nec eò tamen quempiam ignorantiæ perveniſſe arbitror, ut eum continuò rectè habere exiſtimet, quem ægritudinum peſſima peſſimè non habet.

Negabit illud profectò hic, qui præ foribus herum præſtolatur, ephebus. Quid ita? Vrit miſerum ſcabies, modeſtiùs quidem, quàm aut febris aut chiragra; urit tamen, modeſtâque moleſtiâ omnem cùm manibus illius, tum pedibus, ut vides, quietem negat.

d *etiam ſcabies moleſta eſt.*

Habes hîc umbram, nunc lucem accipe. Deciperis, ephebe mi, ſi omni te liberum moleſtiâ ideò reris, quia herum tibi aut conſilium aut caſus obtulit, qui famulitio ſuo Dominorum ceteris modeſtiùs imperat, & ſæpiùs ἐλευθερίαν indulget, quàm aut ad inediam, aut ad pauſicapen, aut ad lumbifragium damnet. Quid enim? an idcircò optimè tecum agi exiſtimas, quia non peſſimè? Non exdórſuat te, fateor, lumbago; non torquet volvulus, non phthiſis eviſcerat; ſed tamen ſcabies urit. Negas? ad manus tuas, ad pedes appello, quos hæc Domini tui, etiam, ut vis, optimi modeſta moleſtia nuſquam pacatos ſinit.

e *Sic & bonus Dominus moleſtus eſt,*

f *etſi minùs quàm malus;*

Quieſcere vis? jam à pedibus, jam à manibus, jam ab auribus, jam à poculis, jam à cubiculis ſer-

g *quia ſe ſuaq; ſervo eri, it,*

viendum eſt: ambulare? quieſcendum: dormire? vigilandum: ludere? laborandum: prandere? jejunandum: loqui? tacendum. Summa, ſemper alieni nutûs cogeris eſſe mancipium, & numquam tuus. Plus dico: jam neque ſorores, neque fratres, neque amici, neque ſodales, neque hereditas, neque vita ipſa tua, tua ſunt; propter unum nempe, quem habes, aut à quo veriùs haberis, Dominum, utcumque vis, bonum, bona ſimul hæc omnia, aut eorum ad minus fructum perdidiſti. Hoc porrò quàm moleſtum ſit, novit apprimè, quiſquis aureæ libertatis, non minùs quàm ferreæ ſervitutis pretium novit: norunt, quotquot clathros, etiam aureos, incolunt aves; quippe ſi libertatem offeras, næ illam & pretioſis ædibus, & exquiſitis, nec ullo tamen labore quæſitis dapibus longè præferent: norat etiam olim infelix Romæ viciniâ Sabinorum populus, quem ereptus libertati ſuæ ſexus muliebris eo vulnere perculit, quod nec nepotum lacrimæ, nec filiarum planctus, nec ſanguis generorum ſanare potuit, ipsâ nimirum cum Republicâ tumulandum.

h *& libertatem tollit;*

i *quod maximè ſenſibile:*

Hinc graviter dixit is, qui multa leviter,

Alterius ne ſit, qui volet eſſe ſuus:

& meritò: ſola ſiquidem inter omnia, quibus homines Deus exornavit, bona, ſive corporis illa ſint, ſive animi, ſive etiam fortunæ; ſola, inquam, volun-

l *libertas enim unicum & ſummum hominis bonum.*

voluntatis liberæ poſſeſſio noſtra eſt. Illa nobis morbus, vitium, caſus, facilè poteſt eripere; hanc verò, qui eximius cæli favor eſt, ne Deus quidem, qui tamen omnia poteſt in omnia : niſi fortè Deum quis Deo ſurripiat, illumque & muneris ſui pœnitere, & firmatum æternâ lege decretum infringere poſſe præſumat.

Quînam igitur Dominorum aliquem bonum, & non potiùs peſſimum dixeris, qui, quod habes optimum, libertatem, ſolum videlicet ac præcipuum hominis bonum, tibi numquam non aufert? Durum ſanè, ſuperbumque, & grave nomen eſt *Dominus*, nedum modeſta moleſtia ſit, illi præſertim, cui libertatis amor ineſt, pudorque ſervitii, ut debét omnibus.



VANITAS.

Tituli varii.



VERITAS.

Inania nomina.

VERITAS.

Avdio te, mi Stentor, & Regales Regalium schedulas, hoc est, sub variis variorum munerum titulis, inania prorsus nomina venditantem mirarer magis, nisi omnes omnium dignitatum fastus, quos ad insaniam usque mundus hodie suspicit, geminas penitùs cum nugis tuis inanias esse sentirem.

[m] *Regales schedulæ inania sunt nomina.*

Quid enim? Conveniunt comessabundi familiares aliquot; expectant avidè sub cœnam singuli, quid sibi muneris, quid tituli sors oblatura sit. At illa, nequa fraus subsit, innoxiâ pueri manu lucidata, hunc Regem, illum à consiliis, istum à secretis, alterum à cubiculis, alterum ab ollis Principem jubet. Mirantur fortunam suam singuli, congratulantur, applaudunt: & ne quis, papyraceæ dignitatis ignarus, secùs eos compellet, quàm titulus ferat, vel pectori munus affigunt, vel petaso: quin & morioni, Si quis Regem, inquiunt, si convivam, aut perperàm indigetarit, aut honore debito non prævenerit, capital esto.

Sic nempe ludicra hæcce dignitas combibones exhilarat, quasi vera futura sit atque perpetua; cùm tamen vulgò etiam epulis longè sit brevior; aut, ut veriùs dicam, præter morosophiam, quam

[n] *quia ludicras & breves dignitates denotant.*

ſinguli exercent, nulla. Rex quippe, quòd belluæ ad inſtar ventri ſervierit, mox imperii ſui, Conſiliarius conſilii, Secretarius ſecreti, Cubicularius cubiculi, Coquus ollæ, quilibet etiam ſui totus impos eſt & ignarus.

o *Sic & tituli omnes, quia breves & quaſi ludicros honores deſignant:*

Sed an ſincerum magis aliquid, minuſque ridiculum, ſub iis, quos tam perditè procamur, honoribus ſubeſſe exiſtimas? Minimè gentium. Sive enim à fortunæ, ſive ab ingenii munere proficiſcantur, nihil eos eſſe pronuntio, niſi divitem frondium VANITATEM, frugum inopem. Si fidem aſſerenti negas, fortunam obteſtor, quæ, ut ludicris hiſce Regibus unius tantummodò noctis, ſic iis, quos veros credimus atq; perpetuos, unius dumtaxat diei regnum indulget.

p *teſtis Senatus Romanus, ſeu PP. CC.*

q *teſtis Conſul,*

r *teſtis Imperator:*

Sic legimus illud, quod mox à morte Romuli fuit inter-regnum, à centum & quinquaginta Patribus eâ lege adminiſtratum, ut eorum ſemper unus horis ſex diurnis, alter totidem nocturnis ſummâ cum imperii poteſtate præeſſet. Hinc & ille Dionis in Caninium, unius tantùm diei Conſulem, jocus: Habemus eâ vigilantiâ Conſulem, ut toto Conſulatus ſui tempore ſomnum non viderit. Item alter Ciceronis in Vatinium: Salutaſſem Conſulem, ſed nox vetuit. At quod omnium celeberrimum eſt, ſub Galieno Marius unâ die viſus imperio dignus eſſe, alterâ uti, tertiâ ſpoliari.

liari. Verè tragicus horarum aliquot Imperator.

Sed hoc modò non ago; illud arguo, omnes ti- s ludicros inquam & vanos,
tulos, omnia munia, fortunæ præſertim, hoc ſolo
dignitatis vim obtinere, quòd aliquam dominii
ſpeciem quaſi præ ſe ferant. Et tamen, ſi Chriſtia-
nè, ut oportet, ratiocinari volumus, ſervi ſumus
hîc omnes, Dominus nemo. Quantumcumque t quia nec dominium conferunt,
enim dominii noſtri ratio, & ſupremâ morientis
amici voluntate, & codicillis & teſtibus ſtabilita
ſit; nihil attamen minus habet, quàm rationem
dominii: nec de meâ quidem hoc ſententiâ, ſed
ipſius Chryſoſtomi. Sæpè riſi, inquit, legens teſta-
menta, dicentia: Ille quidem agrorum & domo-
rum dominium habeat, uſum verò alius. Omnes
uſum habemus, dominium nemo. Velimus enim
nolimus, aliis in fine cedemus: ſervi quippe tan-
tùm ſumus, ac illius, qui ſolus meritò dicit, Ego
Dominus, triobolares Oeconomi. atque adeò gra-
viter ſeſe decipit, qui non exigendas aliquando
hujus provinciæ rationes exiſtimat, imò & exigi
modò à conſciâ cujuſque noſtrûm mente, non
ſentit.

Iam verò quid de mentis ac ſapientiæ titulis
dicam? an hîc forſitan aliquid minùs vanum? Mi- u nec aptitudinem: teſtes medici,
nimè verò: inanes hi quoque ſunt faſtus, inania
nomina, veri nihil. Vnde ſic judicem, quæris?
Accipe.

Gau-

Gaudent, exempli gratiâ, Doctorum titulo medicinæ professores innumeri; at si plerosque consulas, reperies eos tot fermè decipe dare, quot recipe; mortemque veriùs accire posse, quàm valetudinem. Idem de cæterarum quoque scientiarum titulis esto judicium, teste præsertim Satyrico, dum ait:

x *caussidici,*

——— Purpura vendit
Caussidicum, vendunt amethystina. ———

Non credis? Petrarcham audi.

Venit juvenis stultus ad ludum: præceptores illum sui prædicant seu amore, seu errore; tumet ille, stupet vulgus, plaudunt affines; ipse jussus in cathedram scandit, & cuncta jam ex alto despiciens, confusum quidpiam murmurat: tinniunt interim campanæ, strepunt tubæ, volant chirothecæ, & nescio quis humeris pannus imprimitur. His peractis descendit sapiens, qui stultus adscenderat; &, quod omnes urbani vel mendacio fieri volunt, passim illi Doctoris titulus acclamatur. Mira profectò transformatio, nec, ut opinor, metamorphoseos auctori cognita.

y *Doctores artium,*

Quid, quòd Baraballum ut nobilem vultu & genere, ita versuum, quos maximè pangebat absonos, infamiâ celebrem quidem, sed ignobilem, eadem VANITAS eò provexit amentiæ, ut & alterum se Petrarcham, hoc est Poëtices Ausoniæ prin-

z *Poëtæ laureati.*

principem dixerit, & mox primùm quidem lato clavo, ceteriſque triumphantis inſignibus, auro gemmiſque rigentibus indui curaverit; deinde pompâ multò celeberrimâ ad convivium verè Capitolinum præcinentibus cytharis tibiiſque deduci, ac poſtremò in elephantem aureis undiq; phaleris inſtratum attolli, itáque inter tympana, tubas, & acclamationes inſolitas Capitolium versùs evehi; ut præſumptâ ibidem Poëticæ laureâ donaretur. Sed ſapuit ſupra ſeſſorem ſuum bellua: ad pontem Adriani pervicaciter ſubſtitit, nec ad immeritos honores inſano diutiùs voluit famulari. Et quid ni injurius etiam tibi cenſear, ſi credam, te peponi huic, aut veſtium, aut acclamationum, aut pompæ tam inſolentis gratiâ, præ ceteris poëticam palmam dare?

Hoc itaque manet in causâ, omnes ſive animi ſive fortunę titulos inania dumtaxat nomina eſſe, Regaleſque ſchedulas, ac prætereà nihil.

VANITAS.

Diuitiæ.



VERITAS.

Malum necessarium.

VE-

VERITAS.

AN rectè, an perperàm, an uſu forſitan conſule, eum, quem protuli, titulum unanimis virorum maximè ſapientum conſenſus feminis in commune decreverit, non hîc diſputo; illud dico, non eſſe me cuipiam injurium, ſi cum multis potiùs ſapio, quàm ſolus, & pecuniis adſcribo, quod feminis ſapientes.

[a] Mulier eſt malũ neceſſarium;

Multi quidem multis aliquando titulis divitias traduxêre; ſed unus hic, quem cum feminis communem habent, univerſos complectitur, & tranſſcendit. Dúm enim Poëta quidã Græcus ſic canit:

[b] ſic & pecunia malum eſt,

Χρυσὲ, πάτερ κολάκων, Ὀδύνης καὶ Φροντίδος υἱέ·

Καὶ τὸ ἔχειν σε φόβος, καὶ μὴ ἔχειν σ' ὀδύνη.

Dum Auguſtinus aurum vocat materiam laborum, periculum poſſidentium, malum dominum, ſervum proditorem, felicitatẽ ancipitem, morum peſtem, pronum iter ad inferos; quid omnibus his infamiæ titulis aliud ſibi voluit, quàm divitias malum aliquod eſſe, atque illud non exiguum?

[c] omne malum complectens;

Prætereà, ſi, eodem auctore, dives cæcus eſt, quòd credendo dives ſit, non videndo; ſi, judice Chryſoſtomo, pecuniæ ſuæ ſervus eſt, non dominus; ſi denique, teſte Senecâ, ſtultus eſt, quòd eò plus ſibi viatici quærat, quò minus reſtat viæ; quòd hæredi

[d] & poſſeſſorẽ ſuum reddit cæcum,
[e] ſervum,
[f] ſtultum,

hæredi procuret omnia, neget ſibi: nec hoc quidem aliud ſonat, quàm, quod antè dicebam, malum eſſe pecunias.

Sed audi me, & aliis utentem teſtibus. Scio quidem, ut Hugo refert, divitem à divo dici, quòd quaſi Deus nullo creditur indigere; veriùs tamen eſt elegans illud de divitibus paradoxum, Multi nimium, nemo ſatis. Item hoc Vatis cujuſdam neoterici:

g *pauperem*.

Semper avarus eget, nec habet quod habet, ſed habetur;
Et ſitit in mediis, Tantalus alter, aquis.

Cui conſonat illud Hieronymi: Tam deeſt avaro quod habet, quàm quod non habet: quia aut non habita concupiſcit, aut habita metuit ne amittat; & dum in adverſis ſperat proſpera, in proſperis formidat adverſa. Cum Æſopico ſiquidem cane non quæſita computat, ſed quærenda. Vnde Seneca: Congeratur in te, quidquid multi locupletes poſſederant, ultra privatum pecuniæ modum fortuna te provehat, auro tegat, purpurâ veſtiat; nec tantùm tibi habere liceat, ſed in gemmis atque marmoribus etiam calcare divitias; accedant ſtatuæ, picturæ, pyramides, & quidquid ars omnis luxui elaboravit; majora cupere ab his diſces Semper avarus avarus eſt, id eſt auri avidus, divitiis quippe arcam implet, non animum.

h *malum*.

Vis denique compendio doceam, quàm grave malum

malum ſit hic fortunæ vomitus? argumentum hoc habe. Vnum illud mali nomine juſtè traducitur, quod malos facit: ac proinde habet orbis hic, præter vitia, mali nihil. At quò pluribus aliquid vitiis, hoc etiam malis abundat, fitque malis omnibus pejus malum. Iam verò

i *Hinc divitiis à vitiis nomen;*

De vitiis quòd divitiæ dicantur, apertum eſt:
Nomen idem vitiis divitiiſque datur.

Sed apertius tamen eſt multò, quòd peſtis hæc vitiis ſcatet. Innocentiam conſule. Avarus, inquit, offendit Deum, offendit proximum, offendit ſeipſum: nam Deo detinet debita, proximo denegat neceſſaria, ſibi ſubtrahit opportuna; Deo ingratus, proximo iniquus, ſibi crudelis.

l *& meritò; quia poſſeſſor his offendit Deum, proximũ; ſeipſum.*

Et adhuc malum eſſe pecunias neget quiſpiam? Malum profectò, & grave quidem malum ſunt pecuniæ; ſed, quod peſſimum eſt, neceſſarium. Quid ita? *Pauper ubique jacet.*

m *& tamen neceſſariæ ſunt.*



VANITAS.

Domus magnifica.



VERITAS.

Sat lata, ſi ſat lata.

VERITAS.

SAT latus hic captivo carcer eſt, ſed non ſat læ-tus. Rationibus ſuperſedeo, ne (quod ajunt) ſoli lucernam, ut videatur, adhibeam. Hoc ago, hoc arguo, quod dubium videtur, & tamen certum eſt, Sat latam diviti domum eſſe; ſed non ſat lætam. Vna eſt enim urbium & domorum lex, Non ſtatim feliciùs habitat, qui fuſiùs; neq; quàm latè degas, ſed quàm lætè, requiritur ad beatam vitam.

n Vt carcer quilibet ſatis latus, ſed non lætus;

o ita quævis domus

Quis non intelligit, non anguſtè hominum quemlibet habitare auguſtâ in domo, cui in vitâ breve tuguriolum, in morte verò ſcrobs anguſta ſufficiat? Sed an eamdem ſat lætè incolat,

p ſatis lata, q quia & tumulus ſufficit,

Hoc opus, hic labor eſt.

r ſed non ſat læta;

Sæpiùs in palatiis Regum labor dolorque habitant, quàm in tuguriis pauperum; nec curas morboſque marmor arcet, aut ebenus; nec ad prehendenda turrium faſtigia mors ſcalis indiget. In Regiâ Tullius ictus eſt fulmine, in Regiâ Tarquinius ferro percuſſus eſt, Cæſar in curiâ. Fuit olim, fuit ea Neronis domus (in quâ omnes prodigos & ſeipſum vicit) ut à Palatino uſque ad Eſquilinum collem porrecta, ita magnam partem urbis occuparit, ut non immeritò, inter convitia, quibus

ſ quia nec palatia ipſa miſerias excludunt.

t Teſtis Tullius, Tarquinius, Iulius:

u teſtis Nero, qui in auguſtiſſimâ domo

quibus liberrimâ plebis indignatione proſciſſus eſt, illud quoque jactatum ſit:

Roma domus fiet, Vejos migrate Quirites;
Si non & Vejos occupat iſta domus:

Hanc Auream dici voluit, non ineptè quidem ſignans nomine pretium, auro enim & gemmis cruſtata ac ſtellata domus fuit, tantæ altitudinis, ut in veſtibulo Coloſſus centum viginti pedum ſtaret, intus porticus atque aulæ, laquearibus aureis atque eburneis tabulatis, & convexa domorum, cæli inſtar vi propriâ ſeſe ſenſim diebus ac noctibus ſine intermiſſione volventia. Stagnum quoque maris æmulum, ædificiiſq; circumdatum & littore, urbis in morem; rura præterea, & paſcua, & vineta, & ſilvæ, omnium generibus animalium referta. In hâc domo, quantum conjecturis ad verum via eſt, illud, quod Coloſſæum vulgò dicitur, medium fuit, cujus nunc etiam ruinæ ſtuporem ſpectantibus adferunt. Sed quàm lætè eam inhabitarit, quàm aureos aureâ in domo dies habuerit, quàm parum amplè in ampliſſimâ hâc (quę totam ferè urbem complectebatur) domo vixerit, ſatis, ut opinor, declarant anguſtiæ, quæ & animam ejus libertatis ſemper optatæ, numquam poſſeſſæ, avidiſſimam, arctiſſimis etiam corporis ergaſtulis propriis manibus expulerunt.

x *plenus anguſtiis.*

Nullus locus periculis inacceſſus eſt; ſed maximus

mus maximis ſemper obnoxius. Si enim ampliſſimis in ædibus habitas; habitas, ubi fures latitent, ubi ſine ſervis hoſtibus ſolus omnia obſervare & tutari non poſſis, ubi tu vageris, tui luxurientur, liguriant paraſiti.

y Maxima domus maximis obnoxia periculis,

Si in amplâ domo, ut oportet, ſupellex tibi eximia eſt, habes ſupervacuo in ſpatio pondus inutile, habes plus oneris quàm honoris, habes juge bellum non cum furibus modò, ſed cùm muribus tineiſque; & araneæ, & rubigo, fumuſque, & pulvis, & imber in te dimicant: & quibus armis hoſtes hos aut fugabis, aut vinces?

z ſumptibus,

Adde, quòd, quæ nunc charæ tibi ſunt ſarcinæ, ſi vel chariores aliæ ſe oſtenderint, vel ſtuporem aſſiduitas vicerit, viles erunt, nauſeam parient.

a & curis.

Eſto autem, charæ ſint, & maneat ſtupor: nónne etiam error manet? Si quidem quærendi ſtudium unum fuit, ſervandi labor eſt multiplex. Numquam deerit quod reviſas, quod numeres, quod complices, quod excutias, quod abſtergas, quod repares, quod immutes, quod oculos, quos priùs demulſerat, pòſt offendat. Vſque adeò domus magnifica multiplicis tædii capax eſt.

Quid, quòd caſus ſui prænuntia fatiſcit indies, & te domus anguſtæ & ultimæ admonet? Civem te credis, & advena es, conductoque vivis. Venit

qui te nudum laribus his exturbet, aut certè efferri jubeat gaudeatque.

Ne dicam, quòd te omnibus, quas jam diximus, curis quaſi compeditum, domus illa non delectet ut domus, ſed affligat ut carcer.

I nunc ergo, & vel alienis ædibus, vel tuo carcere gloriare. Vanum eſt profectò, & calce, & arenâ, & lignis, & lapidibus gloriam quærere. Aliis quippe virtus, quàm lapideis fundamentis indiget, ut perſiſtat.



VANITAS.

Picturarum elegantia.



VERITAS.

Gratum mendacium.

VERITAS.

b *Vt avaro gratũ eſt vitri polygoni mendacium,* SOLEBAT, ut fertur, inſatiabilis quidam noſtri temporis Euclio, dum auri-luſtrium facit, polygoni perſpicilii genus oculis addere, non modò, ut ne quis viſum nummus effugeret, ſed eò maximè, ut vel mendacio ſibi dives eſſe videretur. Dum ſingulos igitur aureos, artificioſo vitri fœnore, toties augeri numero cernit, quoties in angulum cryſtallus extuberat; manus confricat, tollit ſupercilia, caput ſcalpit, & (ſi triſte genus hoc hominũ aliquando ridere poſſe credibile eſt) ridet. Vſque adeò gratum eſt illi, quod ſplendidè fallat, vitri mendacium.

c *ita pictura ſtudioſis naturæ mendacium:* Miraris, ut video, ridiculum avari ſtudium, rides amentiam; ego verò magis rideo tuam. Nihil enim deſignat hic Euclio, quod non omnibus proprium. Divitias quippe avarus quilibet magis d *gaudet enim injuriâ,* videt eſſe ſuas, quàm ſentit, earum viſu dives, non uſu: tu verò, dum fallacis penicilli, dum colorum ad invidiam vitæ viventium mendacio gaudes, eam tibi fieri lætaris injuriam, quam nemo non vindicet.

e *gaudet mendacio; eò magis, quò magis imponit;* Quis enim eludi ſe ferat, quis ſciens volenſque fraude ſe circumveniri? & tamen hoc tibi charior, hoc jucundior, hoc pretioſior pictura quævis aut ſtatua,

ſtatua, quò te & pluribus & gravioribus naturæ mendaciis ludit.

Certè ſi durum ſtatuæ cujuſpiam marmor animetur in hominem, molleſcat in carnem, hilareſcat in riſum, mærori impalleſcat, liqueſcat in lacrymas, nihil tibi hoc naturæ mendacio gratius. Iam verò ſi ad ſtuporem omnium ſine flammis ardeat tabula, ſine animâ floreat, rideat ſine vitâ; ſi fontem in arido, montem in plano, ſtadium pænè non in ſpatio fingat; nullo non auro illius etiam fumos emes: quin verò indignabere, ſi quid in illâ videris, quod te fallere, quod præſtigiis faſcinare non didicit.

f *eò minùs, quò minùs.*

Quid multa? miramur, ſolos Apellem, Pyrgotelem, Lyſippum fuiſſe delectos, ut eorum primus Alexandrum pingeret, alter ſculperet, tertius fingeret? Delegit gratum hoc naturæ mendacium. Legimus Androcidæ, Parrhaſii, Zeuxidis, Ariſtidis, & Balarchi opera incredibili pretio, nomina verò etiam immortalitate donata? Donavit gratum hoc naturæ mendacium. Audimus aut videmus indies etiam nobiliſſimis ævi noſtri pictoribus, quibus, ut in paucis præſtat, ſic in plurimis cedit antiquitas, non diſparis aliquando pretii famæque ſpem fieri? Facit gratum hoc naturæ mendacium. Denique quidquid aut Pictura, aut Statuaria, aut Plaſtice, aut Fuſoria, aut Cælatoria deſignat

g *Naturæ mendacium gratas reddit omnes veterum picturas.*

ſignat inſolitum, id omne grato huic naturæ debetur mendacio.

Vt enim prætercam, quòd pictura tacita quædam Poëſis ſit, atque adeò certior falſi mater, quàm veri; quis botrum Zeuxidis, quis Parrhaſii velum noſſet; niſi illa volucres, hoc artificem ipſum fefelliſſet? Quis ejuſdem oplotidas tanto in pretio habuiſſet; niſi alter in arenâ currens ſudare viſus eſſet, alter arma deponens quaſi ſpiritum recipere? Ariſtidis profectò & Protogenis in hunc diem fama non viveret, niſi ægro illius vivam quodammodò mortem ars affinxiſſet, hujus verò cani ſpumam fortuna.

h *& etiam modernorum:* Nec tanta nunc eſſet regiorum planè ſæculi noſtri pictorum gloria, niſi Florus artificem humani corporis fabricam, Boſſchius inferorum ſpectra, rura Brillius, Breugelius ſales & agreſtia, culinas Beucelarius, Vredemanus optica, Vromius navigia, omnia denique Petrus Paulus Rubenius ad naturæ invidiam fingere ſe poſſe oſtenderet.

Verùm ut illos ſummopere miror; quòd adeò ſcitè peritiſſimos quoſlibet in fraudem inducunt; i *nec errorem hunc aut tempus, aut auctor excuſat.* ſic inſanos ejuſmodi præſtigiarum præcones accuſo, quòd adeò pretioſè ſe decipi patiantur. Adjungitur quidem ipſorum erroribus non minùs auctorum pondus, quàm annorum; ſed, ut nihil errori

errori detrahit errantium magnitudo, ſic nec furoris diuturnitas rabiem minuit.

Vide itaque, quâ de re quàm ingloriè glorieris, quiſquis picturæ mendacio, quiſquis corroboratâ non exigui lapſu temporis inſaniâ gaudes.



VANITAS.

Ingens Bibliotheca.



VERITAS.

Visui, non usui.

VE-

VERITAS.

HEM Euchari! pictor, an coquus es? Vtrumque: penicillo ſiquidem, & coloribus meliùs quàm veru, & aromatis carnes excoquo, cibos condio, famem elaboro. Rectiùs eludo, diceres; facilè enim vides id genus epulas *viſui* parari, *non uſui*.

l *Epulæ pictæ viſui non uſui ſunt.*

Video; ſed majorum exempla ſequor. Heliogabalum imitor, qui dum ipſe ſe cæli terræque deliciis infarcit, cereis eburneiſque ciborum ludibriis paraſitos fallit, ut, qui Principē fucatis dumtaxat verborum lenociniis paſcere ſtuderent, pictis quoque dapum ſimulacris abundè paſtos ſe crederent.

m *quales quondam Heliogabali:*

Rectè quidem ille; ſed quid hoc tuâ, cui nihil cum iſtiuſmodi muſcis negotii eſt. Nihil mihi quidem cum paraſitis negotii; ſed condixit ad cœnam hanc quidam Bibliothecæ, quam à libris omnibus pereleganter inſtructam habet, inſolens præco; ita tamen illorum ſordidè parcus, ut, cùm mihi nuper magnis multiſque precibus ad Bibliothecam ejus luſtrandam adducto, liber unus aut alter picturæ, quam exerceo, peraccommodus arriſiſſet, commodato petitum impudenter negarit, ne tabernæ, ut opinor, librariæ aut numerum tur-

n *ſic inſolens Bibliotheca*

baret, aut ordinem. Huic ego, mox ubi queretur fallacibus hiſce deliciis famem ſuam exercitam veriùs, quàm expletam, Quid quereris? reponam: tu mihi Bibliothecam, ego tibi menſam *viſui*, *non uſui* ſervientem propono.

o fastidio & cruci potiùs eſt, quàm uſui.

Quid enim, me herclè! librorum, quam tantopere prædicas, ingens copia, niſi ſtudii nauſea, chaos memoriæ, ingenii deſperatio? Sint enim tibi Tyrannionis olim Grammatici ſupra tria librorum millia, ſint quadraginta Ptolomæi, ſint Sereni Samonici duo ſupra ſexaginta, aut ſi mavis, quæ Pergamenis quondam Bibliothecis fuére, ducenta; quid habebis aliud, quàm laborioſam ingenii crucem, etiam mille lectoribus gravem, uni certè funeſtam?

p quia librorum multitudo neceſſariò ignorantiam parit,

Etenim ut nihil aliud agas in vitâ, quàm ut ſtudeas librorum titulos, Auctores, nomina, formas, numeroſque cognoſcere, ne dicam ſcriptores bonos à malis, veros à falſis diſcernere, finem vitæ priùs inveneris, quàm Bibliothecæ. Pulchra ſanè ars, quæ de Sapiente librarium facit, & de temporis ſtudioſo, tempori-perdam. Crede mihi, non eſt hoc nutrire ſcriptis ingenium, ſed enecare, vel ad minus, in mediis fluctibus & fructibus Tantalum ludere, inhiantem omnibus, guſtantem nihil.

q & confuſionem,

Accedit, quòd ut nonnullis ad vincendum multitudo pugnantium, ſic librorum turba multis

ad

ad diſcendum nocuit; quòd Doctorum copia, doctrinæ inopiam parere ſoleat. Fallit profectò viarum multiplicitas viatorem, & qui uno calle certus ibat, hæret in bivio; quid ſi in centivio ſtetiſſet? Multa ſunt oneroſa diſcentibus, doctis pauca ſufficiunt, nimia utriſque ſunt noxia.


Finio, ſi hoc te priùs rogavero: ſi vel ſolos tam inſolentis numeri titulos memoriâ complecti non potes, quî omnium argumenta, & ea quidem ſæpè ambigua, confuſa, longeque longiùs ab invicem remota, cerebro complectêris? Sin autem cerebrò non complecteris, & tamen eò magnus haberi vis, quòd variis ſapientum lucubrationibus abundes; & alieno gloriaris, & ſcrinio tuo nihilo es doctior, certè multò inhumanior; hoc ſiquidem uſui libros ſervat, tu viſui, imo riſui. Ridet profectò te Auſonius, & præſago vatum ſpiritu à multis jam annis hunc Bibliothecæ tuæ titulum præfigi voluit:

r *non doctrinam:*

Emptis quòd libris tibi Bibliotheca referta eſt,
Doctum, & Grammaticum te, Philomuſe, putas:
Hoc genere & chordas, & plectra, & barbita conde,
Omnia mercatus, cras citharœdus eris.

VANITAS.

Amicus aßiduus.



VERITAS.

Subitus hoſtis.

VE-

VERITAS.

VIDES, ut cereum frequentet papilio? aſſiduus illum circumvolat, aſſiduus ambit, pænè dixerim lambit: & amicum illi neges, ac quidem aſſiduum? Non ſanè. Falleris, hoſtis eſt. Quid ita? Ecce, dum ſemper amico magis ac magis intimus fieri laborat, aduritur, & mox flammæ amor ipſe, flammis extinctus, in odium tranſit. Hinc facilè quivis intelligit, quàm in proclivi ſit, ut amicus aſſiduus, ipſis etiam amicitiæ ſtudiis, ſubitò in hoſtem vertat.

ſ Vt cereo nimiùm amicus papilio, mox hoſtis fit; t ita homini homo.

Verùm multos inter amicos, inquis, unus mihi perquam aſſiduus eſt, nec ullatenus tamen vereor ut in hoſtem degeneret. Ain' verò? Sanè triplex hîc error eſt.

Multos inter amicos, ais. Crede mihi, melior eſſet orbis terrarum, longeque tranquillior, ſi tot eſſent amici, quot dicuntur: ſed ſæpè vos credulitas veſtra circumvenit; facile in fide eſt, quod in votis non difficile. At certè multi mihi ſunt. Non tui, puto, ſed fortunæ: ita enim fermè evenit, ut illi amicorum copia major ſit, cui fortunæ neceſſitas minor eſt. Qui tui ſunt, qui fortunæ, illius in fugâ cenſebitur; te tui ſequentur, illam ſui. Adverſitas paraſitum abigit, ut fæx potorem.

u Nemo multos hic habet amicos:

Imò & multi ſunt, & mei. Fucati igitur. Veræ enim amicitiæ bonum uſque adeò rarum eſt, ut, qui unam, Neſtoreâ licet in vitâ, paraverit, magnus habeatur, & rarus. Operoſum eſt multis convivere; operoſius, vicem reddere; operoſiſſimum, in omnibus conſentire. quot enim capita, tot ſententiæ. Et tamen, Auguſtino teſte, nihil aliud amicitia eſt, quàm humanarum divinarumque rerum familiares inter ſumma conſenſio. Imminuendus itaque tibi hominum numerus, vel amicorum.

x vix unus amicum, Et hic quidem trium, in quos impegeras, primus eſt error. Secundum audi. Amicus unus eſt, ais. Ego verò aſſero, hujus rei judicium penes eventum eſſe, non penes famam. Crebrò amici nomen domeſticus hoſtis poſſidet: & ſub amoris aſſidui larvâ odium latet. Fortè dum periculum feceris, periculum invenies: nam ſæpè amarum eſſe perſuaſit eventus, quod opinio dulce. Vnde enim tot quotidie de amicis querelæ, niſi quia, quem fidiſſimum quiſque habebat, infidum reperit? Non omnes ſiquidem Pylades, non Oreſtes, non Zopyri. Amico ſincero ut nihil carius, ſic nihil rarius. Vnde non immeritò Antigonus deos precabatur, ut ſe à ſimulatis ſervarent amicis. Vix, imò ne vix quidem adverſitas amicum probat: & aſſidua, quâ gaudes, proſperitas, de tuo non dubitet? erras. Amicus certus in re incertâ cernitur.

Felix

Felix ſe neſcit amari. Quid, quòd non video, quî ſperes ejus animum ſcrutari, cujus ne verba quidem ſatis intelligis! Abyſſum cordis metiri, non eſt hominis; & difficilius eſt, amicum noſcere, quàm quærere.

Vin' & tertii te erroris convincam? pareo. Amicum tuum aſſiduum, hoc eſt, perpetuum vocas. Si *y nedum aſſiduum*
multis ac magnis expertum caſibus, quod non arbitror, utcumque benè eſt: ſin minùs, certè vel hoſtem habes, vel hoſti proximum. Vt enim hunc tibi amicum fama vel vera vel falſa peperit, ſic tollet & altera. Quibus viis nectuntur omnia, iiſdem facilè ſeparantur. Vnde Solonem memorant amicos calculis ſupputatoriis conferre ſolitum, qui, pro ſupputantis arbitrio, jam millia valent, jam nihil. Sal ipſe, verum conſtantis amicitiæ ſymbolum, non ita res ſervat, quin tandem aliquando non pereant.

Magnus theſaurus eſt amicus, ſed magnâ ſervandus curâ, magnâ probandus induſtriâ. Quid *z & conſtantem;*
tuus? an utriuſque fortunæ communionem expertus eſt? An adverſis, etiam non advocatus, accurrit? an vitæ tuæ conſuluit? an ſe obtulit morti? *a cùm ob rationem amicitiæ initæ,*
Quid ſi gloriæ, ſi felicitatis, ſi ſecuritatis, ſi auxilii, ſi obſequii alicujus nefarii titulo in amicitiam tuam irrepſit? non eſt profectò, quòd aſſiduum fore exiſtimes. Fallax nimiùm eſt gloria, brevis felicitas,

licitas, ſecuritas anxia, immemor gratitudo, pro foribus pœna. Melior ſanè cauſa Platonem Dionyſio junxerat; & tamen productus in forum non ita multò pòſt Plato, quaſi mancipium bis decem à tyranno minis venditus eſt. Nec ſatis.


b *tum ob varietatē fortunæ,* Quid ſi ad eum felicitatis gradum amicus perveniat, ut fortunam illius ſuſpectam habeas; adeóque, velut quondam Amyſis Polycrati, amicitiæ repudium mittere compellaris, ne ſi nimiùm creſcat, illi obnoxius videare; ſin autem decreſcat, vel deſerendo perfidus eſſe cogaris, vel tuis juvando, infelix?

c *tum denique ob libertatem correptionis,* Quid ſi, amicâ nonnumquam libertate, te erroris admoneat (amico enim vero, & adulatore, quod Antipatro dicebat Phocion, ſimul uti non potes) fors apem, propter aculeum, magè tunc oderis, quàm propter conſuetudinis longè dulciſſimæ mella nunc ames.

d *ac ipſum amicitiæ ſtudium.* Ad extremum, quid ſi, dum nimis aſſiduus eſt, tibíque magis ac magis indies inſinuare ſe nititur, importunus fiat? numquid, ut hirundinem, vetus importuni amici ſymbolum fuſtibus, abiges? & ubi tunc, obſecro, amicus ille tuus aſſiduus erit, ubi perpetuus? Falleris itaque, ſi quempiam ita amicum putes, ut mox hoſtem fieri poſſe non credas.

VANITAS.

Optata vindicta.



VERITAS.

Perit, ut perdat.

VERITAS.

INTERPRETIS emblema non indiget,ſed apodoſis: audi illam,quiſquis oblitus tui,non injuriæ, vindictam ſpiras, non abſimilem illius, qui jamjam perituræ navis in prorâ ſedens, cùm puppim, quam tenebat adverſarius, primò fluctibus hauriendam accepiſſet, Iam lætus moriar, inquit, dum priùs hoſtem meum cum morte colluctantem videro, & ſuccumbentem. Succenſus enim irâ, furore diſrumperis; &, quibus animum tuum rabies ultionis opplevit, mille injurias, mille verbera, mille gladios, mille cruces, mille boletos Claudii in hoſtis tui caput eructans, Vlciſcar, inquis, injuriam,&,quod admiſſum eſt in me ſcelus, aut illius,aut meo ſanguine diluam; óccidam,dum occîdam, nihil refert.

e *Vltor perit ut perimat,ſicut bombus,* Hoc porrò quid aliud eſt, quàm bombi ad inſtar perire, ut perimas? Sanè ſi hominem homo perdit, qui rationem; ſi perit, qui ſe & hujus & æternæ vitæ bonis evertit; ſi perit, qui corpus aut animam,aut utrumque interficit; perit etiam profectò, quiſquis injuriam vindicat; perit, quiſquis inimicum perimit: quod niſi tibi luce meridianâ clarius effecero; aſſere me,cùm hæc ſcriberem,nec falſi curam habuiſſe, nec veri.

Ac

Ac inprimis, quòd manifestissimè constet, vel tenuiter hac peste afflatos, non rarò fortunæ bonis omnibus spoliari. Testis Francia, ejusque Rex Carolus VII. Cùm enim Franciscus, id nominis I. Divinione Ioannis, quem Caroli vindex furor occiderat, cranium gravi vulnere perforatum notasset; Quod hoc, inquit, foramen est? Cui monachus, Per quod, ait, Angli in Franciam intrarunt. Acutè profectò, & verè. Vindicaturus siquidem patris cædem Philippus Bonus, Anglos in Franciam concitavit, qui omnia istîc longè lateque flammis & ferro depopulati sunt. Casimirus è diverso Sendomiriæ Dux, quòd infractam sibi à Ioanne Cornario alapam non solùm veniâ prosecutus est, sed pecuniæ intereà, quam justè vicerat, restitutione; mansuetudinis hujusce gratiâ fratris sui (quem, ut asperum nimis, Poloniæ populus non ferebat) regno donatus est. Sexcenta proferrem ejusmodi; sed ad alia propero, ne sim in contracto volumine fusior.

[f] *quia perdit fortunas,*

[g] *quas patientia comparat,*

Non patitur pestis illa uno se hoc termino circumscribi; in ipsam rationis arcem penetrat, hominique hominem subtrahens, mentem imperio suo præcipitem agit. Dubitas? Poëtam audi, etiam Ethnicum:

[h] *imò sensum communem;*

——— *Furor iraque mentem*
Præcipitant. ———

Audi & Oratorem. De poteſtate mentis exive-
rat, inquit. Vnde non malè Poëtarum alius,

[i] *quia hominem ſtultum efficit ultio,*

Ira, furor brevis eſt.

Si tamen adhuc ambigis; Sapientem audi: *Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti.* Conſentit huic Sapientis adagio Coſmi Medicæi Apophthegma. Senatore quodam multa in Coſmum, ipſo in Senatu, indigna dicente, Angelus Accaciolus ita exarſit, ut homini alapam infracturus crederetur, ni Coſmus manum retinuiſſet. Dimiſſo Senatu, cùm Angelus diceret, Profectò ſine te vapularet; reſpondit Coſmus: At ſcire vis, quid tum futurum fuerit? nempe unus in Senatu ſtultus erat; ſi tu, quod deſignaveras, perfeciſſes, duo.

[l] *& brutis ſimilem,*

[m] *& pejorẽ:*

Sed quid ſi illiuſmodi genus hominum in beſtiam migrare evicero? Evincam profectò, ſi veritati locus eſt. Quid enim? an non liveſcit ut coluber, rugit ut leo, frendet ut aper, mordet ut canis, calcibus ferit ut equus, & quidquid demum in brutis feritatis eſt exercet; quidquid in homine rationis, excludit? Quid, quòd ad paſtoris nutum aut vocem moloſſus, totis jam in prædam rictibus inhians, iram cohibet; tu verò, dum hoſti immines, nec conſcientiæ tuæ, nec Paſtoris, nec Dei ipſius vocem attendis, aut curas imperium; ſed eum properas odio perſequi, cui æterno velles in amore convivere? Nec enim, ſi cælum hoſtem

tuum

tuum manet,eo te exclusum desideras. Quid multa? turpe est cum inferiore contendere, anceps cum pari, stultum cum superiore.

Parva sunt hæc, si cum certâ corporis animique jacturâ conferantur, quam procul dubio incurrunt ii, qui vindictæ stimulis agitati, singulari certamine, divinis humanisque legibus adversante, decernunt. At pauci fortè sunt ejusmodi? imò quamplurimi. Iuvat nimirum hodie fati cursum properantis impellere, & morituri sanguine morituras manus inficere. In Lemovicensi patriâ, semestri spatio, centum viginti Nobiles hac peste sublati sunt; ac per universam, ut ajunt, Galliam, decennii tempore, millia non minus octodecim. Nec mirum videatur hoc cuipiam; cùm constet, Henricum nominis hujusce IV. die unico centum viginti ejusmodi malè feriatos pugiles homicidii veniâ prosecutum. De infelici hoc hominum genere, qui de miseris omnibus agit, Iob ita pronuntiat: *Stultum interficit iracundia.* Et alius: *Qui perdis animam in furore tuo.* n *quin perdit & corpus & animam.*

Vnde meritò similes illos apibus dixero, quæ, ut vindictâ potiantur, patiuntur mortem, dum aculeum simul & vitam exspirant: aut, potiùs deciduis ingentium murorum ruinis, quæ super id, quod oppressére, franguntur. Enumeravi non semel, quotquot ferè noveram homicidii vindicis o *Vltor apibus, & murorum ruinæ similis.*

 reos;

reos; & vix quempiam,magno ſcilicet in numero, reperi, qui gladio,quo ferierat,non perierit.

Verùm, quid faciam? inquis. Quod Arlottus olim Florentinus, non minùs animo quàm genere nobilis: hic enim, cùm multis eum convitiis æmulorum quiſpiam oneraſſet,rogaretque conniventem, ecquid ſurdum fingeret; reſpondit: Si tu linguæ tuæ mancipium es, cur ego aurium mearum non ſim dominus?

p *Nec excuſat ultionem conſuetudo;*

At non ita conſuetudo fert,ais. Fateor:ſed audi, quid de illiuſmodi conſuetudine cenſeant ſapientes. Theologi: Mala conſuetudo vetuſtas erroris eſt. Iuriſperiti: Non exemplis,ſed legibus judicandum. Ethici: Antecedentium gregem ſequi, non hominum,ſed pecudum eſt; nec benè currere poteſt, cui curæ eſt,alienis veſtigiis ſemper inſiſtere.

q *quia ultio magis repugnat,*

Quid, quòd naturæ repugnat? ais. Videmus enim beſtias, ad hoſtis ſui conſpectum dumtaxat, ferocientes. Ita eſt. Ferociunt, vel ad hoſtis ſui viſum, belluæ, &, quòd malum inter ac bonum diſcernere nequeant, cæco impetu in pugnam feruntur: ſed numquid injuriam homini fecero, ſi eum eodem loco cum brutis habuero? non parceret profectò tam gravi injurię,qui minores ulciſcitur.

Neſcio quid reponam; video tamen id naturæ, rationi,honeſto,ac utili adverſari. Ain' verò? Ego autem è diverſo aſſero; naturæ, rationi, honeſto,

utilique

utilique congruum magis esse, hostem beneficio perdere, quàm vindictâ. Convincunt id commiserationis lacrymæ, soli inter omnes animantes homini à naturâ concessæ. Convincit loquendi gratia, singulari item naturæ munere, in humanæ societatis augmentum, simul & commodum, nobis impertita. Convincit necessaria pacis nutrix, mutuæ, quam indies experitur, opis indigentia. Quid enim? obsequium inter membra natura suadet, an odium? sui tutelam, an perniciem? Convincit denique tam arcta mortales inter, naturæ per omnia paris, affinitas, ut sine suo vulnere vulnus alteri infligere solus homo non possit. Similitudo certè naturæ, juxta Sapientum placita, mater amoris est, non dissidii: nam & aves concolores simul volitant, & pares cum paribus facilè congregantur. r *quàm indulgentia, naturæ,*

Iam verò quid æquius censes? an, ut Deo (qui solus ex æquo dicere potest, dicitque, *Mihi vindicta, & ego retribuam*) gladium ultionis eripias? an, si tuus foret, illi transscribas, qui eo & justiùs utetur, & acriùs? Solet profectò inter servos Domini communis esse cognitio. Quin ora potiùs ut nec ille vindicet; & sic hostis tui crimen in tuam verteris salutem, quod multò est æquius. f *rationi,*

Quid æquius? an, ut Iudicem tuum pro adversarii tui veniâ non interpellantem modò, sed imperantē (dum ait, *Diligite inimicos vestros*) benignus

audias;

audias; an, ut eum repellas injurius, à quo delicti tui, numero pariter & offensâ majoris (quis enim vel unius peccati, quod læsæ majestatis divinæ reum te constituit, gravitatem intelligit?) veniam postulare cogeris, & exspectare?

Quid æquius? an, ut ei, qui dum tibi corpus perdidit, sibi animã sustulit; dum te vitâ mortali, se immortali exuit; dum te perituris fortunę bonis evertit, se privavit æternis; misereare potiùs, an ut insultes?

Quid æquius? gladio te persequentem dimittere? an arreptâ, quæ tibi non studio sed errore pepercerat, inimici sicâ, tuam ipsius mortem exequi, quam illa non potuit?

Quid æquius? calceum, qui pedem urget, an, quî urgetur à calceo, pedem exscindere? Nemo non videt. Hoc itaque manet in causâ, æquius multò esse, inimicum veniâ quàm odio prosequi.

t *honesto,* Quòd si æquius est, certè & honestius sit oportet. Honestius siquidem est, rationis exemplar & imperium, quàm inconsultum animi, suam in perniciem spontè ruentis, impetum sequi: honestius, tam feliciter à docente discipulum discere, ut vicissim magistro, quod imitetur, paradigma constituat, quàm committere, ut perennis infamiæ ferulam mereatur, & pœnæ. Sed quem magistrum vocas, inquies, quem discipulum? Discipulum te, magistrum

magiſtrum verò illum, qui hoc de ſe: *Vos me vocatis magiſter, & Domine; & benè dicitis, ſum etenim.* Scis, quod ille tibi paradigma propoſuit? *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* Hanc tibi in crucis cathedrâ tot ora quot vulnera, tot regulæ quot exempla doctrinam enuntiant. Ecce propendet illi vultus in oſcula, & brachia jam aperta ſunt in amplexus. Scis prætereà, niſi tuas tibi offenſas ille donaverit, æternâ judicis incorrupti ſententiâ, ſempiterni dedecoris ac ſupplicii reum te fore? Quin igitur, quem tibi veniæ modum à Deo ſtatui poſtulas, illi tuo in hoſte præfigis? Si feceris; næ filium te ſuum ille ſcribet, & hæredem; ſin minùs, diabolus. Vtrumque jam doceo.

Teſtamentum, quod Servator humani generis Deus, non atramento, ſed ſanguine; non calamo, ſed clavis in cutis ſuę membranâ virgine ſcriptum mortalibus condidit, illud inter non parum multa præcipit: *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos; ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt.* Porrò ſi filii, certè & hæredes. Nec mirum: ut enim malefacere benefacientibus, diabolicum, benefacere benefacientibus, humanum; ſic benefacere malefacientibus, divinum eſt. Hinc ſtatim ac lapidantium ſe miſertus Stephanus, filium Dei ſe præbuit, vidit cælos apertos; & cùm hoſtibus à Deo veniam ſupplex expetiit, obdormivit in Do-

mino: quæ vox indubitata Numinis, Stephanum inter indigetes referentis, & ut priùs nomine, ſic modò gloriâ coronantis, eſt ſyngrapha.

u *& utile.* Hoc igitur tu Patris tui mandatum ultimum, hoc teſtamentum furibundus laceras. An neſcis unâ eâdemque te manu debitâ tibi priùs hæreditate te ſecludere, & iſtius ſcribere filium, cujus illa, quam tanto facinore procaris, hæreditas ignis eſt, & quidem æternus?

Teſtis mihi ejus, quod aſſero, qui mentiri non poteſt, Deus: ad Iudæos enim vindictæ ſtimulis in ſe concitos, *Vos ex patre diabolo eſtis*, inquit. Teſtis etiam ſuccedaneus Sapricio martyr Nicephorus.

x *Teſtis Sapricius.* Vocabatur ad martyrii palmam Sapricius; cùm ſemel iterumque Nicephorus ad genua euntis accidit, lacrymanſque commiſſi veniam rogat: daret hanc moriturus pro Chriſto, ſi non ſibi, certè ipſi Chriſto mortuo inter preces pro hoſtibus fuſas. Audiebat hæc Sapricius, neque tamen vel verbis vel oculo dignatus Nicephorum eſt. Ergo non placuit Deo hæredem hunc ſcribere, qui dum hoſti benignum ſe negat, negat & Deo filium. Cervicem præbere juſſus, mortem turpi vitâ redimit, & Chriſti Sacerdos, facere Iovi promittit, nequidquam per omnes ſuperos obteſtante Nicephoro, non dimitteret, quam jam prehenderat, hæreditatem. Ne tamen gratis lictor gladium ſtrin-

ſtrinxiſſet; accurrit ipſe Nicephorus, & ſuccedaneam ſe victimam offerens, alienum involat in bravium.

Vides hinc, ut credo, quàm conſona naturæ, rationi, honeſto, utilique ſit ultio, aut diſſona, veriùs dixerim: & adhuc vindictæ cæcus amor in odium ſtimulat?

Video, inquis; ſed malorum impunitas, ſemen eſt malitiæ. Quid? an ergo ſupra Deum tibi ſapere lubet, aut licet? Non quid lubeat, ſed quid liceat, æſtimandum eſt; ne, ſi quantum potes velis, nihil poſſe, ſit melius. Melius eſt amicum quærere, quàm hoſtem tollere; ſed utrumque ſimul optimum: quod numquam meliùs feceris, quàm ſi parcere ſtudeas, cùm potes perdere. Multos vindicaſſe, pœnituit; neminem, pepercisse. Vltionis delectatio momentanea eſt, clementiæ ſempiterna. Vindictæ dolor æternus eſt, miſericordiæ ne momentaneus quidem. Omnes vindicta perdidit, neminem venia.

[y] *Adde, quòd amicum parat indulgētia,* [z] *& hoſtem tollit,* [a] *nec, ut illa, pœnitudini eſt obnoxia.*

VANITAS.

Præclarus pater.



VERITAS.

Clari progenies obscura patris.

VE-

VERITAS.

HVC oculos, huc animum adverte, quiſquis paternam tibi claritatem obſcurus arrogas: cumq́ue ignis ſplendorem, & fumi tenebras videris, nega, ſodes (quod tibi luce meridianâ clariùs fumoſa nox aperit) obſcuram aliquando claro ex patre progeniem naſci; nec enim video, cur homini accidere non poſſit, quod igni. Obnoxius lignis ignis eſt? obnoxia corpori anima. Offuſcat ignem vapor, quem fomes eviſcerat? obnubilant animam organa quæ ſenſum hebetant. Iam verò, ſi faciliùs longè deficit natura, quàm perficit; ſi fiunt ex ſingulis imperfecta defectibus, perfecta vere perfectis dumtaxat omnibus abſolvuntur; quis non videt, ſæpiùs malè animam habitare, quàm benè? quis non videt, prolem non ita facilè majoribus, præſertim eximiis, ſimilẽ gigni, quàm diſſimilem? Vidit Homerus, licet oculis captus, & cecinit:

b *Si ex claro igne fumus obſcurus naſcitur,*

c *multò faciliùs ex claro patre degener filius;*

Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Vidit Flaccus, dixitq́ue,

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Vidit Sabellicus, qui perditos Severi liberos paucis abundè perſtringens, tandem aſſerit, ferè ſemper

d *juxta experientiã,*

observatum, summos viros aut sine liberis mori, aut tales relinquere, ut satius sit filios non habere. Polydorus verò Virgilius etiam id populis quibusdam singulare fuisse testatus est; dum tradidit, Londinensium filios, peculiari quodam fato, rarò parentum virtutibus æmulos esse.

e *maximè in Londinensibus.*

Et sanè, si degeneres à patre liberos non semel experta est, quæ consilio & usu fulcitur adoptio; quis miretur, si ea, quæ neutro nititur, ac siderum & humorum vicissitudini, Deo moderante, plurium debet nativitas, sæpè sæpiùs fallat? Fallit profectò, fallit frequenter adoptio, fallit nativitas. Sensit illud Augustus in Tiberio, in Nerone Claudius, in Ildeberto Sigebertus Austrasius: hoc verò (ne sacra forsan exempla desideres) luxit in Caino Adam, Noëmus in Chamo, Isaac in Esau, Samuel in Ioële, David in Absalone, Salomon in Roboam, Iosias in Ioachim, Ezechias in Manasse; & ne profana requiras, prævidit in Paralo Pericles, Aristides in Lysimacho, Phocion in Phocâ, Aristarchus in Aristagorâ, Chabrias in Ctesippo, Antoninus in Commodo, Charus in Carino; ne deniq; recentiora exspectes, expertus est Casimirus in Boleslao, Carolus VII. in Ludovico id nominis II.

f *Et sanè si adoptio degenerat,*

g *quid ni nativitas?*

h *Exempla degenerantium.*

Vin' & suis nonnullos patribus conferam? Forum Romanum, & Patris Curionis gravissimum supercilium, & filii sexcenties sestertiûm æris alieni,

alieni, famosâ nobilis cujusdam juvenis injuriâ contractum, vidit: itaque eodem tempore, & iisdem penatibus, diversa sæcula habitarunt, frugalissimum alterum, alterum iniquissimi prodigii. Quintus Fabius Maximus, Quinti Fabii Allobrogici, & civis, & Imperatoris clarissimi filius, quàm perditâ luxuriâ vitam egerit, sat docet publica severitas, quæ degenerem patris illius hæreditate seclusit, cujus ipse se virtutibus exhæredarat. Germanicum non Romanus tantùm populus, amicæque gentes; sed barbari quoque, ceu communem parentem, à morte prosecuti sunt: at Caligulam, ob scelera, ne publicâ quidem sepulturâ dignatus est quispiam.

Quid de tribus Constantini Magni filiis dicam, nisi tantum à paternâ indole, in omni genere laudis atque officii recessisse, quantum ille superiores Principes omnes animi magnitudine superarat? Neque enim Constantino filio quisquam ad vitam incautior, Constante ad indecoras voluptates proclivior, Constantio denique aut levior quisquam, aut ob arrogantiam intolerantior fuit.

Quid de Ioanne Galeacio, Francisci Sforciæ Ducis Mediolanensis filio, referam? Fuit Franciscus in omni virtutis genere, Christianos inter Principes facilè princeps: at Ioannes, vitiorum studio, omnium fermè mortalium abjectissimus.

Sic

Sic habuit omnis ætas, omnis ordo, omne ſtudium degeneres à patre filios, qui virtutibus nudi, ſolis ſe majorum meritis induere, & fumoſarum etiam imaginum, quibus oppidò ſplendebant, præter colorem, habuerunt nihil.

i *Imò parentum claritas obſcuros reddit filios.*

Quid, quòd ipſa, quâ parentes fulgent, claritas, obſcuros liberûm mores latere non ſinit? Vt juvant hebetem viſum tenebræ, ſic lux ipſa perſtringit. Multos ſingularis patrum gloria inglorios reddidit, quos communis communiter celebraſſet. Clarebant videlicet etiam ſuis illi virtutibus, ſed non illuſtribus adeò, ut clarioribus compoſitæ vinci non poſſent, aut hebeſcere. Non deficit ſua candelæ, non deficit ſtellis, non deficit lunæ claritas; ſed eam tamen mox illuſtrior ſolis ſplendor obſcurat: ac proinde claritas ipſa etiam lumini tenebras offundit. Et miraris, ſi homini?



VA-

VANITAS.

Frequens frater & soror.



VERITAS.

Rara concordia.

VERITAS.

ETSI tanta plerumque ſit prolium in parentes impietas, ut eos perditis alia moribus, alia ſannis, alia criminationibus, alia inſidiis, alia exilio, alia vinculis, alia fame, alia gladio, alia cruce, alia flammis (inuſitatâ belluis ipſis crudelitate) perdere gaudeat, & nulla beneficio, ut par eſt, vincere; ea tamen eſt conjugum ubivis utique locorum, temeritas dicam, an dementia, ut tam diu miſeros ſe arbitrentur, quamdiu ſobolem, quæ miſeros illos facere poſſit, non habent.

l Omnes prolẽ deſiderant,

Hujus ego cæcitatis originem dum perſcrutor attentiùs, hanc præ cæteris cauſſam invenio: quòd alter quodammodò parentum vultus ſunt liberi, in quo ſibi velut ſuperſtites, repræſentantur ad poſteros, & mortui vivunt. Quanta porrò ſit homini immortalitatis innata cupiditas, neminem fugit.

m quia proles quaſi redivivus parentum vultus:

Nec mirare, ſi vultui prolem confero: conveniunt in multis vultus, & liberi, ac in eo potiſſimùm, quòd, ut vultibus, ita & liberis raró duobus inter ſe convenit. Quanta ſiquidem ſit facies inter humanas diſcordia, facilè non minimum vultus noſtri diſcrimen, naſus indicat, qui licet aliquando ſui non abſimilem ferat, parem certè

n ſed ut nulli vultus formâ, ſic nullæ proles naturâ planè ſimiles.

quaquâ

quaquâ patet orbis non patitur, ſemper homini congruus, numquam ſibi. Non aliter videt aliquando domus una, ſed felix in paucis, fratres vultu cultuque non ita diſſimiles, ſed quando tandem concordes? rarò, ut opinor. Sic nempe teſtatur Ovidius, dum ait:

——*Fratrum quoque gratia rara eſt.*

Sic docet in fratribus Argivis Seneca, in Thebanis Pampinius, in Tyriis Maro, Livius in Romanis. Quæ quidem infamia cur unius aut alterius urbis potiùs, quàm totius orbis ſit, non video.

o *Fratrum rara concordia.*

Memorabile eſt inprimis, quod Actium ſpectavit duobus in fratribus, ſolo partium ſtudio diſſidentibus parricidium; dum Cæſar in Antonium, & in utrumque, pro utroque, Roma decertat.

p *Exempla fraternæ diſcordiæ,* q *apud Actium,*

Felix & miſer unicâ adverſarii cæde Mævius: ſcelus fuiſſe comperit, quod virtus fuerat, dum ſpoliis imminens, fratrem cecidiſſe, non hoſtem, videt. Quid faciat? projiciat, quæ peccaverant, arma, & innoxium ſanguinem lacrymis abluat? ſed inſtat hoſtis, nec inermi parcere conſuetus, nec pio. Quid igitur? Si tutò non potes ad patrem, inquit, ad fratrem adi. Neſciſti fratrem? jam ſcis, & habes præ manibus, quem hoſte tuo juſtiùs tollas: faciat hic te gladius pium, qui impium fecit, aut certè melius, frater, cui mortem ferro intuliſti, morti tuæ ferrum offeret. Sic ait, & enſe fraterno

fratri fratrem, victorem victo inferias mittit.

r *in Macedoniâ,* Triſte eſt, quòd cum Philippo doluit olim Macedonia; ſediſſe patrem ſcilicet de parricidii ſcelere, facultatis non voluntatis errore decepto, duos inter filios ſuos judicem.

ſ *Romæ,* Crudele eſt illud Caracallæ apud Romanos de Getâ fratre, quem in gremio matris occiderat, in Divos referendo, reſponſum: Sit Divus, dum non ſit vivus.

Crudelius eſt odium, quod apud Cyrenæos Alcarenus in Archeſilaum, t *Conſtantinopoli,* apud Iudæos Ariſtobulus in Antigonum, apud Conſtantinopolitanos Alexius in Iſaacium, u *in Hiſpaniâ,* apud Hiſpanos Fredericus in Toriſmundum, apud Gallos Sigebertus in Chilpericum, x *in Poloniâ,* apud Polonos Lechus in Cracum, y *Britàniâ,* apud Britannos Ferrex in Porregem, z *Italiâ,* apud Mantuanos Franciſcus & Ludovicus Gonzagæ in Hugolinum, apud Forolivienſes Pinus Ordelaphus in Franciſcum exercuit.

a *Turciâ,* At multò crudeliſſimum eſt, quòd Murates quinque, Ioram ſex, Mahometes octodecim, Phraates triginta, b *Iudæâ.* Abimelech denique ſeptuaginta fratres impiè ſuſtulit.

c *Nec melior ſororum gratia:* Meliora forſan de ſororibus ſperas? Falleris: fruſtrà ab infirmiore ſexu fidem magis firmam expectes: fecundiſsimum diſcordiæ ſeminarium femina. Nec raram dumtaxat ſorores inter ac fratres

tres charitatem puta,dum charior dignitas, ut horum pleriſque contigit. Pietas ipſa,ſomnium, chimæra, fratribus, utut inter ſe ament, ad cædem ſatis eſt.

Quid fecit, ut ne fratrum quidem primus omnium, parricidæ nomen effugerit? Pietas. Quid fratrum manus Ioſephi pretio, quid animos ſanguine polluit? Somnium. Quid mutuo Liminæos enſe concîdit? Futile unius de cælis in paſcua, & alterius de ſtellis in armenta mutandis votum.

d quin ipſa pietas, e ſomnium, f votum inter fratres diſcordiam parit.

Nihil hæc moror,inquies; frequens mihi frater ac ſoror eſt,& quod caput eſt,concors. Rara avis in terris. Noſtin' quæ vera fraternitas? Vera fraternitas eſt,quæ fratrem veneratur integrum,corripit diſſolutum, præſenti obſequitur, abſentem non rodit, ſano applaudit, infirmum non deſerit, placatum non provocat, iratum metuit ut majorem. Si te docuit uſus hæc omnia, ſi diviſa vos inter, ſine rixis, hæreditas, tum demum eam, de quâ temerè tibi blandiris, concordiam ſpera: ſin minùs, expecta diſcordiam, de primâ dubius, de alterâ certus. Vt enim aurum igne, ſic auro, & utrâque fortunâ, fratri frater probatur. Plus dico,ſi certum eſt, verè tot hominum ſententias cenſeri poſſe quot capita; frequens procul dubio frater & ſoror, concordia aut nulla aut rara eſt.

g Vera fratrum ſororumq́ concordia

h aut rara, aut nulla.

VANITAS.

Vagus amor.



VERITAS.

Amplexu enecat.

VERITAS.

NVMQVAM non viridis hedera, numquam non vividus amor eſt: hinc pueri vultu depictum videas ſemper, & numquam ſenis.

i Vagus amor hederæ ſimilis in multis:

Pulchra foliis hedera, ſed ramis, totoque corpore ſcabioſa prorſus & turpis eſt. Formoſa vultu & cultu meretrix, ſed verum proſcenium: fucum tolle, & ficum deteges; veſtem excute, & peſtem invenies, peſtem, inquam, cujus fontem Neapolitani, Galli, Iberi, ſuum nolunt, rivulos verò ad inſaniam bibunt: bibunt autem? imò pretio incomparabili comparant.

Serpit orta parvis initiis per muros hedera, errat ut ebria, & quidquid obvium luxurioſa complectitur: ſerpit itidem, ignotis ferè nata parentibus, vix ipſa ſui conſcia, vaga libido, Baccho duce vel comite fornicem ſubit, nec ullius faſtidit amplexum.

Verùm ne ſingulis immorer, unum hoc urgeo: ſicut hedera, quidquid etiam ſartum ei fors obtulit, mox illud amplexu ſuo deterit, enervat, enecat; ſic impotens ſui effræna cupiditas, etiam pumices ipſos ſurdis utique dentibus exedit, vitiat, perdit.

l maximè quòd, ut illa, amplexu omnia vitiat:

m ſic vaga libido perdit omnia bona,

Et hoc eſt quod Naſo præmonuit (medicus tamen morbi amantior, quàm ſalutis) dum vulgatas omnibus

n fortunæ,

omnibus Diomedis filias, ſub equarum ſpecie, à devoratis hoſpitibus infames reddidit. Hoc & in Sirenibus voluit, quæ, quòd communiter advenas voce, tibiis, lyrâ reficerent primùm, dein verò meretriciis exhauſtos ſtipendiis, ad egeſtatem ſenſim ſine ſenſu deducerent, dictæ ſunt cantu ſuo tranſeuntibus inferre naufragium.

Nec mirum: certant quippe inter ſe etiam hodie adoleſcentes illarum amoribus perditi, quis prodigorum hoſpitia, quis oculorum fulmina, quis latrocinia ſenſuum, quis phthiſin ærarii, quis diurnas inſanias, quis nocturna pericula, quis morbos corporis, quis incendium animæ, non præſens modò, ſed æternum quoque, cariùs emat.

Etenim ſicubi fortè puella quæpiam meliori formâ quàm famâ conſpicitur,

Omnis in hanc Danaën confeſtim depluit imber
Aureus, ———————

nec cara eſſe poteſt, quæ eſt chariſſima: adeò ſapidum vobis hoc venenum eſt, adeò jucundum ſupplicium, adeò cara carnificina. Et ſanè, unde tot opes accumulaſſet utraque Rhodope, unde dotem tam opulentam mulieres Lydię, unde à Demetrio Polyorcete ducenta & quinquaginta talenta Theſſalis, vel, ut alii volunt, Athenienſibus, malè imperata, & pejùs exacta coëmendo ſmegmati Lamia obtinuiſſet; niſi tanti fuiſſet inſanis libertas vendita,

vendita, pernicies empta? Quin verò, si Phrynes pretium mille dragmæ, si saltatrices quædam & tibicines Samiæ, ipsis Regum diadematis insultarunt; quem non ejusmodi lupæ devorent? quem non ex integro lues hæc vitiet & deperdat?

Taceo itaque, facilè eum Numen despicere, qui idolum hoc suspicit; facilè perjurii reum fieri, qui promissis vafram sollicitat; facilè refragari parentibus, qui Veneri auscultat; facilè templa negligere, qui suburram frequentat; facilè fidem fallere, qui nullam invenit; facilè falsa testari, qui mentiri studet; facilè alieno manus injicere, qui sua prodigit; facilè rivalem occidere, qui se perdit; adeoque facilè vitiis omnibus infici, qui nullum fugit, omnibus utitur. o *animæ,*

Non commemoro trahentem pensa digitis Herculem, Salomonem idolo supplicem, multatum vinculis Sampsonem, de quo est ille non certi Vatis versus non inelegans:

Læ nam non potuit, potuit superare leænam:
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Omitto, quàm pronum sit, ut hujusmodi Circes poculo amantes in amentes degenerent, ne dicam in belluas. Sileo Leandrum fluctibus, Biblida lacrymis, Prochryn telis, propriâ cuspide Pirámum, Hyphin laqueo periisse. Illud certè tacitus præterire non possum, proditorem ignis hujusce tempo- p *corporis,*

ralis amplexum, plurimos etiam in diriſſimum flammę perennantis incendium egiſſe præcipites; numerarem, niſi innumerabiles eſſent: ſed nequid tamen deſideres, dabo in uno, quæ diximus, omnia.

Prodegit in Cleopatræ ſinu Provinciam non unam Antonius, famam exuit, inſaniam induit, ſuſtulit uxorem, hominem poſuit, vitam projecit, animam perdidit; ſic vagus nimirum amor *Amplexu enecat.*



VA.

VANITAS.

Vxor ſuaviſsima.



VERITAS.

Dulcis amaror.

VERITAS.

QVID ploras, mi Narcissule? cur matri offenderis? Saccharum putabam (inquit) quod blanda porrexerat, & semen zedoar est. Itáne verò? faxo, mox sentiat. jamjam illam aggredior.

q *Vt condîtum saccharo semen zedoar, dulcis amaror est,*

Siccíne fallax mater? verè dulcis amaror es; ita filium, ita conjugem dulcedine amarâ circumvenis. Filium quidem, at certè non conjugem. Quin verò pejùs longè filio conjugem: nisi fortè mirus hic auceps est, qui cornicem candidam reperit, cùm vix sit qui invenisse se fuscam probet. quibuscumque enim tandem conditionibus condîta sit mulier, nihil nisi dulcis amaror est. Quî sic? jam doceo.

r *ita viro uxor,*

Dulce est, charissimæ conjugis obsequiis, dote, formâ, amoribus frui; dulce, per illius fructus longè suavissimos, quasi immortalitate donatum, sibi supervivere; sed, vel primo Veritatis miraculo teste, plus habet aquæ thori societas, quàm vini; nec quidquam dulcibus acrius, dum acescunt. Præcedunt & comitantur ad breve tempus sponsam tibiæ, non sequuntur; nec, ut voluêre Philosophi, ullus in matrimonio lætus dies, nisi quo ducitur uxor & educitur. Certè auctore Blasio Vigne-

s *partim dulcis,*

t *partim amara;*

Vignerio in Livium, optimum optimi connubii augurium erat, obvius ſponſo milvus, ſed mutilus; nequis matrimonium etiam optimum,

In quo luminibus caret uxor, & aure maritus,

omni ex parte beatum crederet. Et ſanè ſic eſt.

Si enim nobilem ducis, ſplendidâ vinctus es catenâ, unde te ſola mors ſolvat; diſces pati, diſces ſervire. Sin plebeiam, habes familiaritatis ſcopulum; diſces amicos perdere, hoſtes lucrari. u *ſive nobilis,* x *ſive plebeia;*

Si divitem, habes compedes aureas: quæ paſcit virum mulier, dominam ſe putat eſſe, non ſociam. Dos enim opima, licentia conjugis eſt, frænum viri; dum illud Aurelii Principis irato recurrit, Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem; dos autem erat imperium. Sin pauperem, mox prodigam invenies: facilè pecunias ſpargit, qui ſparſas non colligit. y *ſive dives,* z *ſive pauper;*

Si formoſam, habes idolum, quod vix tuus obſtupeas, quod adfuſus adores: videbis indies illinc peregrinos novoſque habitus, hinc ingenium inventricis ad cuncta verſatile. tum jacturam patrimonii, lucrum voca, ſi pacem vis. Sin turpem, habes domi faſtidium, foris cupidinem, ubique tormentum. a *ſive formoſa,* b *ſive turpis;*

Habes tui amantiſſimam? Si cibo fòrs abſtines, ſi quid attentiùs cogitas, ſi vicinam ſalutas, ſi domum ſeriùs redis, ſi ridenti lentus arrides, ſi c *ſive libens;*

denique ſolito minùs inſanis, ſemper offendis: quæ ſi vita dici debet, quænam mors dicenda ſit, neſcio. d *ſive repugnans;* Sin habes Lubentiâ non ita volente traditam, Agamemnonem te puta, Deiphobum, Africanum, & cruentos Danai thalamos nullâ non nocte formida.

e *ſive facunda,* Si facundam, malles tibi picas eſſe & bubones; illæ canerent, iſta jurgabitur; illas excludere liceret, hanc non licet. f *ſive taciturna;* Sin taciturnam, habes vivum cadaver, omnium odium.

g *ſive blanda,* Si blandam prorſus & affabilem, habes non leve periculum; ovem, quæ mulceri amat, quilibet mulget. h *ſive auſtera;* Sin imperioſam duxiſti, illa te duxit, non tu illam; diu nimiùm fueras tuus.

i *ſive ſterilis,* Si ſterilem, aut fecundam; uxor ſterilis, unica tantùm; at l *ſive fecunda;* fecunda, ſarcina domus eſt multiplex. Creſcunt cum pueris curæ, decreſcunt pecuniæ.

m *ſive erudita,* Si habes quæ ſupra colum ſapit, magiſtram inveniſti; habes, cum quâ diſputes & declames aſſiduò, vincas numquam. n *ſive rudis.* Sin autem rudem, ac minùs habilem, quid ab illâ exſpectes, niſi foris opprobrium, domi ruinam?

Denique, qualis qualis tibi conjunx obtigerit, habes feminam.

o *Nullum dulcius B. Virginis & S. Ioſephi matrimonio,* Quid multa? an perſonis melius, an fœdere ſanctius matrimonii vinculum noſti, quàm Ioſephum

phum inter ac Virginem intercessit? Maria certè una fuit, in quam usque eò convenit omnium virtutum consensio, ut nihil pudori venustas, gravitas demissioni, comitas gravitati, nobilitati simplicitas incommodarit. Certabat enimverò in illius ornatum gratia cum naturâ, & dubitarem naturæ plus debuerit an gratiæ; nisi scirem naturam etiam illi à gratiâ, id est Annâ matre, donatam. Nec de sponso inferiora quisquam sine injuriâ cogitet: aut enim aliàs hujus auctorem connubii Deum erroris arguat necesse est, aut Iosephum Virgini non ita disparem fateatur, juxta illud:

p ex parte B. Virginis,

q B. Iosephi,

r & Dei ipsius;

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Et tamen dulcissimus ipse Virginis multò dulcissimæ fructus, nuptias omnium perfectissimas, etiam sub illarum ferè principium, amaritudine non exiguâ condiit. Non credis? audi Iosephum de Virgine, quòd prægnans esset, dimittendâ non parum anxium.

Quid faciam? inquit. prægnantem video virginem, causam ignoro. An sui forsitan pudoris oblita est? nempe, quæ voto perpetuæ castitatis obstricta, nihil cum adulteræ moribus habet commune. Sed quid si illam accusem? lapidandam scilicet. Accusem tamen. Quid dicam? numquam mihi cognitam? quis credet? Cognitam alteri? Absit; non ita Venerem castitas odit, ut illa cupidinem.

s & tamen quàm Iosepho in principio amarum fuit?


dinem. Quid igitur? Conceperit forſan ſine viro mulier? Scio illud Iſaiam prædicere; non ignoro explendas jam proximè Danielis hebdomadas; nec dubito, quin præ ceteris huic apta ſit gloriæ. Sed quid? Adeóne pauperem cæleſtes divitiæ matrem? Quid tandem? amicis reſtituam? Hoccíne Mariæ Ioſephus opprobrium? Fugâ me ſubducam? Itáne alteram me? Hæc ille. Vſque adeò uxor quoque ſuaviſſima, etiam virtutis ipſius gratiâ, viro numeris omnibus abſoluto dulcis amaror eſt.



VA-

VANITAS.

Filia formosa.



VERITAS.

Bonum fragile.

VERITAS.

QVAM fragile bonum ſit ſupellex vitrea, norunt, ſed non niſi damno ſuo edocti, propolæ omnes, qui refertas hac merce capſulas illâ ex urbe petunt, quam plateæ non lapide, ſed aquis ſtratæ nobilitant: utut enim fragile bonum hoc adverſus exitium fœno chartâque præmuniant, plura tamen paſſim recipiunt fragmenta, quàm vaſa.

t Nihil vitro, fragilius:

Quàm etiam fragile bonum ſit filia, præſertim formoſa, facilè perſpicit, qui indies turpium turpiſſimos caſus videt. Etenim ſi turpes, nullo ferè impellente, ſolo ſexûs ſui vitio, ruunt; quid non faciet illa, quam, præter ſexum, nulli non obnoxia forma præcipitat? Cadet profectò, cadet ut filia, cadet ut formoſa.

u nihil item filiâ præſertim formosâ.

Quis enim neſcit, ipſam nominis muliebris notionem hujus nos admonere periculi? Quid ſæpiùs verbo concutitur, quid acceſſu frangitur, quàm, unde mulieri nomen eſt, mollis aër? Noverat ſanè hanc ſexûs illius imbecillitatem antiquitas, ac proinde Phidias ad Veneris pedes teſtudinem finxit, ut feminam in vitium proclivem, quaſi teſtudinis ad inſtar excordem, domui affigendam oſtenderet: ad Palladis verò ſtatuam ſerpentem appoſuit,

x Sic probat ipſum mulieris nomen;

y ſic Græci,

appoſuit, ut armatam licet per omnia virginem, inſomni tamen draconis vigilantiâ cuſtodiendam innueret. Hinc etiam Ægyptii puellis calceos ne- [z] gare ſoliti, Chinenſes autem vix natis pedes ener- vare: & meritò. Si enim, ut Rabbini teſtantur, viri nomen ac feminæ, modò apicem unum aut alterum, quo Dei nomen exaratur, ademeris, nihil reliquum habet, niſi flammam & ignem; quid præter incendium exſpectes à puellâ divini timoris (quod amanti facilè contingit) experte?

[z] ſic Ægyptii, ſic Chinenſes, ſic Hebræi.

Itaque fruſtrà es, ſi infallibilem te illius cuſto- [a] dem ſperas; nihil tam ardenter invaditur, quàm quod caſtis vallatur excubiis: & cùm ſit in omnibus nobis rara conſtantia, tum in feminis nulla eſt. Quid enim? an ſervare potuit Limonem Hippomene, Staphylus Rheam, Iuliam Auguſtus? minimè. Quid? quòd Pædagogus ipſe Pontii filiam Saturnio prodidit. Quid? quòd puellæ amoribus, ut olim Theopompo Philoſophus quidam aſſeruit, nimis humilis murus eſt, qui virorum odia longè tranſſcendit. Præceps certè deſiderium eſt [b] femina, imò voluntaria ruina.

[a] Nec obſtat cuſtodia:

[b] quin voluntariè ruit femina,

Teſtis Caroli, non immeritò Magni, nata, diu nimiùm integri pudoris impatiens. [c] Teſtis, ebriis inceſta poculis, utraque Lothi filia. Teſtis, vix ulli fragilium ſecunda, Sigiſmunda Tancredo Principe Salernitano progenita. Tradidit hæc, quaſi per jo-

[c] ut probatur exemplis diverſarũ.

cum, in arundine (commodo ſcilicet excitandis ignibus inſtrumento) amatorias Guiſcardo litteras: erat is Palatinus quidem, ſed humili planè loco natus, nec Sigiſmundæ priùs noverat ignem, nedum accenderat: ſed mox, ubi eum per litteras ſenſit, ſimulque pabuli ſubminiſtrandi viam didicit, miratur illum ſponte obvium, frequentat, amplectitur: nec mora; non ſecùs ac olim Satyrus uritur: detegit quippe turpem filiæ cum amaſio conſuetudinem pater, obtruncat juvenem, & exſectum pænè adhuc ſpiranti cor in aureâ phialâ filiæ deſtinat, Hoc tibi pater, inquiens, amoris à Guiſcardo ſolamen; ut illo nihil tibi carius fuit, ſic patri nihil, quod mitteret, rarius. At illa, quaſi opprobrii incuria, & muneris læta, Sapienter, inquit, cor aureum aureo pater tumulo donat. Plura vetuêre, quibus amantis cor velut unionibus perpluebat, lacrymæ. Non vetuêre tamen, ne, quod hujus præſaga tragœdiæ venenum paraverat, hauriret intrepida, thoroque mox compoſita, exeſum pænè lacrymis & oſculis cor cordi apprimeret, quò ſe nimirum ferventiùs amantiſſimis proci manibus parentaret. Audit periculum Tancredus, accurrit, ſolatur, promittit omnia; verùm illa hoc unum obteſtari, ut mortuos uno componi tumulo ſinat, quos vivos uno frui thalamo vetuerat.

An

An non hæc deterior multò ipsâ vitri fragilitate fragilitas ? deterior ſanè ; illa ſiquidem lapſum pati contenta eſt , non quærere ; hæc vitium ſemper auferre prona, vel offerre.

d *atq; adeo fragilior vitro, præſertim formoſa*

Sed quorſum hæc omnia ? non aliò ſanè, quàm ut faciliùs intelligas, multò fragiles magis eſſe formoſas : nec enim ideò dumtaxat forma bonum fragile eſt, quòd cum floribus illicò defloreſcat; ſed eò vel maximè , quòd dominas ſui virgines , præ ceteris fragiles reddat.

Age, quod tuum de formâ judicium Secunde ? Pudicitiæ naufragium voco. Et tuum ô Socrate ? Ego verò tyrannidem , quæ alios perſequens , ſe-ipſam prodit. Conſonat his ille , qui animæ vernicem dixit : nimiùm enim quanta picturæ gratia vernix ſit, nimiùm quanta corruptio. Nec diſſentit Plutarchus, qui illam calaminæ comparat, alumini ſcilicet , quod naturâ ſuâ quaſi provocat ignem, quo ipſum mox conflagret. Quis hujus in formâ naturæ teſtis eſt ? ipſa quam deſcribimus, forma. Græci enim illam περὶ τὸ καλεῖν καλὸν dixêre, ὅτι πάντα ἐφ' ἑαυτῷ καλεῖ.

e *quia forma naufragium eſt,*
f *tyrannis,*
g *vernix,*
h *calamina,*

Vtut eſt , rectè Carneades illam regnum malè cuſtoditum nuncupat : ægrè ſiquidem ſervatur, quod multi ambiunt, & nulla non venditat. Conceſſo calle corruptor it ſegniùs : quò caſtitatis arx munitior , hoc libido improba magis eſt & pertinax:

i *regnum malè cuſtoditum,*

1 nax. Admoventur muris ſcalæ blanditiarum, machinæ munerum, nec, latentis ſub terrâ, magiæ cuniculi negliguntur: his ſi nihil proficitur, vis adfertur. Nec unus nunc Helenæ Paris eſt, mille ſunt. Et quænam, obſecro, tot corruptoribus reſiſtat mulier? quæ tot robora vincat fragilitas? I nunc, & bonum hoc fragile, pro ſtabili vendita.

quod omnes omnibus modis ambiunt.



VA-

VANITAS.

Filia nupta.



VERITAS.

Augetur minuendo malum.

VE-

VERITAS.

FILIAM habere, & labor & metus eſt; malum utrumque; ſed quod, ut ſola mors aufert, ita transferunt tantùm nuptiæ, mox etiam cum fœnore reverſurum.

m *Vt auget verruca ſublata v.rrucas;* Vt enim ſi è manu tuâ verrucam tollis, ſanguis unius, uſu teſte, plurium ſemen eſt: ſic dum filiam viro elocas, laborem tibi metumq́ue ſeminas, n *ſic filia, quâ ſe pater per nuptias exonerat, onera,* non exſcindis. Multò nempe curarum fecundius virginitate connubium; quidquid illi impenderis, mox ultrò reſtituit, etiam cum fœnore. Doceri vis? animum intende.

o *ſive œconoma ſit,* Quam à te filiam abdicaſti? œconomam. Cur? Imperabat patri. An marito ſerviet? credite poſteri; ſpecta lites pater, expecta divortium, atque adeò malum tuum redux, etiam cum fœnore.

p *ſive formoſa,* Sed & formoſam elocavi. Quid ita? Timebam virgini. Itáne verò? timuiſti Palladi, & Veneri fidis? Quis pro eâ fidejuſſit? connubium. Tot adulq *ſive perfida marito,* teriis nobile ſcilicet. Falleris; cæcus amor eſt; matronam & virginem inter non diſcernit; quin ſemper id illi magis libet, quod minùs licet. Quid ſi & filiæ tuæ libeat, atque exinde perfidam maritus exturbet? quid facies pater? excludes? impietas eſt: admittes? infamia, novi ſumptus, nova pericula;

pericula ; nec enim facilè lapſum vitabit illa , quæ ultrò tam præceps,& intùs & foris impellitur.

Sed eſto, fidem marito non fallat;quis ſpopondit non fore conjugem formæ tam periculoſæ cu- r
ſtodem zelotypum ? quis addixit nuptam , ne quâ ſive fidelis,
fòrs vitio pateat , non arcendam protinus à plateis, colloquiis, deliciis , licet improbè obluctantem? Et quem,obſecro,ſi hæc eveniant,niſi te ſubſidio vocet ? in quem, niſi in patrem, miſerias ſuas exoneret ? Quid tibi tum erit conſilii? quid ſuadebis afflictæ ? Vt maritum repetat ? At, quod jam extulerat onus, redux inveniet, onus,inquam, nec illi felix, nec tibi,ſi maritus eliminatam reſciat. Vt tecum maneat?Ecce jam tibi malum tuum denuò redux, etiam cum fœnore : lætam quippe à te filiam dimiſeras , & nunc moroſam admittere debes ; felicem abdicaras , & infelicem recipere cogeris.

Quid ſi & divitem tradidi? Nec ſic quidem ma- ſ
lo liber es. Quî ſic ? dicam. Quid cauſſæ fuit , cur ſive indotata,
pauperi divitem dederis ? legitimam ſemper importuna flagitabat. Dediſti ? non. Quid ergo ? addixi. Hoccíne ſatis eſt ? quis ſe , quis liberos , quis familiam verbis alat? divino vivitur,non humano. Nihil æquè generum exaſperat , quàm vel negata dos, vel dilata. Sæpiùs enim (qui ſæculi noſtri mores ſunt)dos caſtitatis ducitur,quàm flos;nec hanc

cum virgine proci ducerent, si solam possent: contundet itaque socerum & uxorem gener, ut dotem exprimat; & si non exprimit, malum tibi tuum cum liberis & gynæceo reddet cum fœnore, vel, quod pejus est, inopinæ cædi tuæ jus suum transscribet.

t *sive benè dotata,* Sed annumerabo mox dotem, inquis. Nunc quidem aliquid dicis. sed sive opimam dederis, sive tenuem; semper tibi malum tuum redibit, & quidem cum fœnore. Si enim opimam das, das & viro dominam. Quà dos hæc ingreditur, illâc libertas fugit. Et quis feminæ mancipari se liber ferat? quis, dum potest, ultrò compedes non excutiat? Ecce tibi malum tuum denuò redux, etiam u *sive malè,* cum fœnore. Sin verò tenuem das; accommodum præbes cruci & resti funesto pretium: & quæ tibi non hinc infamia, quæ non mala?

x *sive mediocriter;* Verùm esto, non ita tenuis sit, sed mediocris; an filiam hanc, quia fortunati patris est soboles, nullis fortunæ malis obnoxiam credis? quid si ergo piratæ alicujus, si tempestatis, si œconomiæ vitio, fortunæ naufragium faciat? quis illam portus excipiet? quis puellas ad minus colliget? quis pascet? quis vestiet? Maritus? at sat illi secum & cum pueris negotii est. Mariti parentes? at omnes aut opibus aut vitâ carent, certè juxta leges ac consuetudinem huic oneri te minùs obnoxii. Quis

Quis ergo? ſanè præter te, nemo. Ecce tibi malum tuum denuò redux, etiam cum fœnore.

Ad extremum ſcis, ut opinor, te genuiſſe mortalem; ſcis mortalem mortali traditam. Quid ſi igitur filiam hanc tuam mors præoccupet? quid tum liberi? adoptionem rogabunt procul dubio, avo ſe commiſſos à matre dicent, imo tranſſcriptos. Quid ſi maritum priùs mors evocet? nónne mox tibi malum tuum denuò redux, etiam cum fœnore? Et meritò quidem, cui enim potiùs? Quid ſi tollat utrumque? in quem continuò, niſi in te

y maximè ſi aut ipſa moritur, aut maritus.

——— *Domus inclinata recumbet?*

Sic nempe, quod priùs volebam, connubium virginitate multò curarum fecundius, quidquid illi impenderis, mox ſpontè reſtituit etiam cum fœnore.

Habent ſe quidem hæc omnia non ſecùs quàm diximus; adſtruerem tamen exemplis ſingula, niſi illorum nota cuivis foret antiquitas, niſi noti ſæculi noſtri mores, nihilo meliores antiquis. Hoc itaque, vel invitus, jam confitere, quod antè negaveras: filiam nuptui collocas?

Augetur minuendo malum.

VANITAS.

Nepotum copia.



VERITAS.

Incertum ſolamen, & certus labor.

VE-

VERITAS.

DESIPIS æger, multumque te decipis, si hac ferri inustione satis superque saluti tuæ cautum existimas; non omnes, quos mancipat sibi cauterium, continuò morbus pileo donat. Si enim neminem morte damnaret infirmitas, quem hæc ultronea plaga saluti commendat; nulli non cauteriata cutis esset ægroto.

z Vt cauterium incertum solamen est & certus labor:

Nunc verò, quòd, ut annotant plerique, fons ille medicus incertum ægro solamen sit, & certus labor (quis enim illum sine labore, vivâ mortuâq; carne, quis pustulis, quis sordibus expiet, quis velut infantulum, suis quotidie fasciis explicet & involvat?) hinc paucis cordi est, & plurimis odio.

Non absimili quoque ratione falleris, quisquis aut avus, aut avunculus, longâ nepotum serie satis tibi superque consultum putas. Incertum, mihi crede, hi quoque solamen sunt, & certus labor. Eccur? paucis accipe.

a sic frequēs nepos,

Huic de porrigine, illi de aphthis, isti de varis metues; alios dentitio, alios papulæ, alios morbus sonticus divex abit; uni cibus, alteri vestis, tertio nutrix, quarto pædagogus quærendus: nec temerè quidem; si enim hunc colis, illum negligis, istum plebejâ, alterum splendidâ veste donas, invidiam

b frequens labor, & cura, ac incertum solamen

c ratione morbi,

d vestis,

 illis,

e *nutricis,* illis, tibi calumniam emis. Quid ſi offenſa nepoti ſit Rumina? quid ſi lac nutricis oppidò tenue? ſi minùs digeſtum? ſi aduſtum nimis? ſi affectibus effrænis turbidum? Quid ſi nutrix ipſa, ut illa Veſpaſiani, ægra ſit; ebrioſa, ut Tiberii; crudelis, ut Caligulæ; libidini prona, ut complures hoc ævo (quo proſtituta virginitas ubera ſua cariùs elocare cernitur, quàm honeſta viduitas?) numquid hîc iterum tibi novus de novâ præ foribus labor eſt?

f *cuſtodis,* Quid ſi pædagogo comis auctoritas? ſi ſeveritas manſueta? ſi accommoda puero ſcientia deſit? quid niſi novus hîc iterum labor, nova moleſtia, eventus ambiguus? Sin autem illos gerulâ, iſtos g *gerulæ,* cuſtode deſtituis; & ignem, & aquam, & lapides, & collactaneos ipſos timeas neceſſe eſt; ne dicam maturos, præcoceſque omni ex arbore fructus, notiſſimam pueritiæ peſtem. Hinc vides, opinor, tantam tibi eſſe laborum copiam, quantam nepotum.

Video; ſed pueritiæ ſudores ea, quam virilis ætas promittit, meſſis ſolabitur. Vtinam! ſed in herbâ eſt hactenus, adeoque nunc incerta, ſi umquam: itaque miror ejus te ætatis ſcientiam profiteri velle, cujus ignorantiam ultrò confeſſus eſt ille, qui cælo docente ſupra mortalium cæteros h *ætatis,* didicit, ſapuitque, Salomon. *Tria ſunt*, inquit, *difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro, viam aquilæ in cælo, viam*

viam colubri super terram, viam navis in medio mari, &c viam viri in adolescentiâ. Nec injuriâ. Quis enim nescit, quàm inconsultus sit adolescentiæ in juventutem flexus, quàm præceps decursus, quàm incertus exitus? Facit quidem ignea naturæ vis adolescentes calidos ad omnia, sed non item callidos; multorum subitò cupidos, sed & subitò saturos; studiosos honoris, sed dedecoris impatientes: facit illos humanitas alteri, suoq́ue sexui perquàm accommodos, sed utriusque periculo; disertos, sed & dicaces: facit animi corporisq́ue vigor viribus non rarò spectandos, sed sæpiùs præfidentes: facit inexperta temeritas omnium sciolos, sed singulorum pænè ignaros. Et quid, obsecro, ex tam ancipiti morũ conflictu solaminis certi speres? Dicam.

Hunc mercibus, illum sago, istum togæ, quartum aulæ, quintum infulæ destino: & quam de singulis spem concepi, ne quâ vacillet, firmabo disciplinâ, quàm potero, severissimâ. *i conditionis.*

Audio: sed quàm vereor, ut tam certa spes, dubiis adeò fundamentis innixa, subsistat. Plures sanè commercium bonis exuit, quàm explevit; plures Mars perdidit, quàm provexit; plures Humfredos vidit aula, quàm Arsenios; plures oneravit infula, quàm ornavit; plures schola Marsyas quàm Apollines, plures Nævios quàm Cicerones, plures Baraballos protulit quàm Petrarchas. Et nepotes tuos omnes

omnes eximios fore quis promittit? Ingenium: at anceps eſt. Diſciplina: at ambigua eſt: vel enim cura ſine naturâ nihil proficit, vel deficit invito cane venatio.

l *Teſtis Lãdelinus.* Omnia tuta times, inquis. Fateor; ſed non ſine exemplo. Educabat, in antiquiſſimæ ſpem familiæ, nepotem ſuum, optimâ juvenem indole, Landelinum Ansbertus Cameracenſis Epiſcopus; & ne quâ curam falleret, propriis in ædibus ad omnem, quam id generis & moris adoleſcentia poſtulat, gratiam inſtituebat: ſed is, mox æqualium pravâ conſuetudine degener, virtuti ſimul ac diſciplinæ renuntiat, ſubitòque peſſimus ex optimo nepos factus, ne dicam prædonum ſignifer (argumentum non exiguum fruſtrà laborantis induſtriæ) quærit latrociniis, quod ſcelere perdat.

Verùm unicus Ansberto nepos erat, inquies, plures mihi; ac, ut unicum facilè tranſverſum agi quotidie cernimus, ita nullum è pluribus frugi eſſe, aut raró videmus, aut numquam.

Benè eſt; res tibi, ut video, ad triarios venit; cave ne mox etiam ad reſtim, ſi triarios tuos, ſi optimum quemque Mars, aut mors pignoretur, ut aſſolet.

m *Imò & ratione ipſius ſpei,* Fieri id quidem poteſt, non infitior; ſed quis peſſima ſemper ominari te cogit? Quod minimè credas, ſpes ipſa, quin & virtus, aut ſi mavis, natura.

Spes

Spes ſiquidem, bravio quolibet teſte, dum omnes fovet, vix uni favet: virtus defectum inter & exceſſum media, duobus à vitiis quodammodò ſuffocatur. Natura, traducis culpæ ſcelere, vitio pronior, quàm virtuti, faciliùs longè deficit quàm proficit. Nec mirum; fiunt ex ſingulis imperfecta defectibus, perfecta verò perfectis dumtaxat omnibus abſolvuntur. *virtutis,* *naturæ,*

Et ſanè quid præter vitium à juvenibus expectes, non video; hoc ævi præſertim, quo puellis (quarum tamen ad efformandos adoleſcentiæ mores plus nutus unicus agit, quàm Catones innumeri) is maximè juvenis placet, qui minimæ frugis eſt. *n præſertim puellarum culpâ.*

Tu tamen, ſi quid præterea ſolatii à nepotibus manere te autumas, cùm illorum copia tam incertum ſolamen ſit, & tam certus labor, ſpe ſaltem hac fruere, teque ſolare, ne fortè re careas.



VANITAS.

Excellens præceptor.



VERITAS.

Nil cura sine naturâ.

VE-

VERITAS.

HABES hîc hippodromi gloriam, habes Camerarium, habes Rossium alterum, cui nullum adeò barbarum equi genus exhibeas, quod non illius industriâ

o Vt non arguit doctus equiso doctum asinum,

Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, sinuetque alterna volumina crurum.

Etenim, si quem ei fòrs ascensu difficilem obtulit, continuò mordicus illum auribus tenet, popismo mitigat, superat plausu: si morosum, facto à lentissimis gradibus initio, mox clogmo ad celeritatem incitat; nimiumque præcipitem, adducto placidè fræno, invitat potiùs ad moram, quàm compellit: si nec sic proficit, indito mox auribus scrupulo reddit immotum; si reluctantem saltui, vacuum, & fræno à fronte, & fustibus à tergo adhibitis transmittit; si sternacem, voce, oculis, baculo corrigit; si erectorem, virgâ; si calcitronem, etiam compedibus; si suspicacem, iterum iterumque pavido terriculum objicit, dum illi audaciam non calcaribus incutiat, sed persuadeat verbis; si denique contumacem, virgulâ inter aures, clavo post ephippia, &, si opus est, propositis sub oculos ignibus domat.

Quid multa? gnarus hic est in paucis, quis fræ-

no ſonipes, quis lupato, quis calcaribus optimè ſerviat; novit quem chalinum, quod pſelium, quos dactylios, quod henium, quem echinum quiſque deſideret; & ne diutiùs te morer, voce, virgâ, fræno, cruribus, palpo, calcaribus, herbâ, jejunio; flectit hebetes bruti ſenſus ad omnia: ſed quòd non parum fortè miraberis, hîc tamen fruſtrà eſt. quid ita? in promptu cauſſa eſt, aſinum exercet.

p *ſic nec inſignis magiſter inſignem diſcipulũ:*

I nunc, & eximium te litteris ac moribus autuma, quòd magiſtrum utriſque divinum nactus es: crederem utique, ſi facere naturam diſciplina poſſet, ut fingere; ſi in diſcipulum, cum præceptis, præceptor influeret. Vtut ſit, ſapientia moderatoris utilis eſſe diſcipulo poteſt, glorioſa eſſe non poteſt. Magiſtrum ſi habet hebes egregium, habet quem ſequi velit, ſed deſperet aſſequi; habet quem verè eſſe ſe cupiat, ſed falsò putet. Fallimur enim, ſi ingenium mortalis induſtriæ fructum credimus; Dei munus eſt, dos naturæ. Nec ſanè priùs ingenioſum è ſtupido Chryſippus efformet, quàm equum ex aſino Camerarius. Parum enim refert, Ariſtoteles ſit aut Plato, qui docet, ſi Philonides eſt qui diſcit. Docuit ignavos, docuit ignaros, docuit ſtultos etiam Poſſidonius; & horum quidem paucos forſitan, illorum verò & iſtorum plures procul dubio, quàm eximios.

q *quia nihil cura ſine naturâ.*

Vſus eſt magiſtro patre, uſus eſt Cratippo Tullii filius,

filius, utroque tum ſuis in litteris principe; ſed adeò fruſtrà, ut qui vel è ſolo patris aſpectu ſcientiam ſimul ac virtutem haurire debuerat, nec frugi umquam fuerit, nec eruditus. Sic nempe non omnes continuò ſapientiam diſcunt, qui audiunt. Audivit illam olim ſub Ammonio aſinus; nihilo tamen ſub ſtudiorum finem doctior fuit, quàm ſub initium; nec ſolus, ut arbitror, niſi fortè quadrupedum.

[r] *Teſtis Ciceronis filius,*

[ſ] *teſtis aſinus Ammonii,*

Fatigavit univerſam ſæculi ſui ſapientiam congenita filio Herodis Attici, viri litterarum gloriâ longè clariſſimi, hebetudo; nec unicum illud omnium labor impetrare ab indocili potuit, ut vel prima litterarum elementa perdiſceret. Memorabile tamen hîc fuit quoddam Philoſophi ſingularis inventum: juſſit is coætaneos illius ſingulos ſingulis characterum nominibus inſigniri, diſertè cavens, ne ſodalem ſuum quiſpiam diverſo ab his vocabulo compellaret; ut apices, quos ſtudio non poterat, luſu tandem & uſu etiam ignarus imbiberet. Dictum, factum; ſed fruſtrà: cauſſam quæris? *Nil cura ſine naturâ.*

[t] *teſtis filius Herodis Attici,*

Taceo Iuſtinianum, cæteroſque analphabetos omnes: non quòd difficile ſit eos numerando percurrere, qui in vulgus noti ſunt; ſed quòd reſpuat infamiam calamus, quòd liber erubeſcat. Piget illum videlicet tot ignorantiæ noſtræ prodigia

[u] *teſtis Iuſtinianus,*

gia ſcribere, piget hunc ferre, pudet utrumque tot brutos ſub humanâ ſpecie ſenſus agnoſcere, quos nullus umquam limare valuit labor, nedum expolire. Ne quid tamen à me deſideres, ab uno diſce omnes.

x teſtis compoſitus Seneca Nero:

Prodiit è divinâ Senecæ diſciplinâ Nero; ſed quàm magiſtro diſſimilis, mores dicent. Vacabat aſſiduò litteris Seneca, aleis Nero: vertebat ille, ſtudiorum gratiâ, noctem in diem; hic è diverſo ignaviæ cauſsâ diem in noctem: erat ille moribus per omnia commodis, hic infeſtis: ille animi ſui dominus, hic mancipium corporis: ille cibi potuſque parciſſimus, hic numquam non ſatur, numquam non ebrius: ille ſupra hominem patiens, hic ſupra belluam ſævus: ille in omnes pius, hic etiam in ſuos impius adeò, ut & fratris, & uxoris, & matris, & magiſtri parricidio ſe polluere non dubitârit: ad ſummam, erat omnium amor Seneca, erat odium Nero: erat vitiorum colluvies Nero, erat virtutum epitome Seneca. Cauſſam quæris? jam dixi, *Nil cura ſine naturâ*; atque adeò fit, ut ſit etiam celebri magiſtro infamis diſcipulus.

y ſed bonus magiſter malo diſcipulo infamia eſt.

VA-

VANITAS.

Ingens patronus.



VERITAS.

Falſa gloria, verus error.

VE-

VERITAS.

z *Optandũ, ut omnes intelligãt, quàm falsa sit de ingenti patrono gloria.*

VTINAM id pro rei merito, utinam pro voto meo, utinam pro ſuo, totiuſq; patriæ bono omnes Principum Regumque familiares agnoſcerent! non eſſet profectò, qui aureæ libertatis pretio ſplendidam hanc ſervitutem emeret, nedum emptâ ſupra modum omnem & fidem inſoleſceret: non eſſet, qui potentiæ ſuæ metuens, potentes Reip. nervos ſuccideret: non eſſet, qui, nequa fortè ſalus ad Regem penetraret, & aures illius, & os, & oculos, & manus obſideret: non eſſet, qui funeſtis promeritum conſiliis odium, exoneraret in Principem: non eſſet, qui fucato religionis & patriæ ſtudio, Eccleſiam ipſam in Eccleſiæ perniciem laicis redderet vectigalem.

Nunc verò, quod pygmæo, quem hîc cernis, uſuvenit,

a *Vt extollitur à monte pygmæus, & magnum ſe credit;*

Vt cùm, teſte polo, non ſit niſi perbrevis unguis,
Appendix, & præda gruum;

ob additam tamen ſibi montis hujuſce ſtylobatam, omnes infra ſe poſitos, ipſo cum monte, deſpiciat; ne dicam monti inſultet, dum Briareum ſe credit, aut Enceladum, ceteros pepones dumtaxat, aut fungos; idem quoque Principum; idem Regum clientibus accidit, ut licet humili plerum-

b *ſic extollitur à patrono cliens, & idem ſibi perſuadet:*

que

que naturâ ſint, & fortunâ; quia tamen ſupra vulgus potentum favoribus eminent, invideant etiam confeſtim ſuperioribus, inferioribus immineant, parem non ferant.

Sed quàm perperàm utrique, res ipſa demonſtrat. Quid enim ſtultius, quàm quòd hæc hominis epitome, eam, quam montis beneficio debet, eminentiam non illius altitudini, ſed propriæ tribuat humilitati? Evexit enimverò Molonem collis iſte, non auxit; non crevit in montem pumilio, ſed aſcendit. Quin verò, quò ceteros altiùs deſpicit, eò ſuſpicientum in oculis minor eſt, eò vertigini propior & ruinæ.

Audi hoc, quiſquis ſplendidum aulæ periculum periculis emis, & venditas, multis unum, magnis maximum: Regum enim amicitiis præter regna ipſa periculoſius nihil. Audi, quiſquis, ut privatim diademati inſultes, publicum mentiris obſequium: audi, quiſquis pompam, quam œconomiæ titulo Principibus excutis, in te transfers illuſtriùs, ut invidiam, quæ aliàs inempta veniret, cariùs emas: audi, quiſquis tam inſolenter patriæ moderaris ærario, ut Regem ipſum regni ſui mendicum veriùs facias, quàm hæredem; ſervi ſui mancipium, quàm dominum: audi, quiſquis avidam ſanguinis Auguſti manum officii corymbo ſpecioſè prætexis: audi, quiſquis prædæ ſtudio

c uterq; tamen naturâ humilis, & tantùm favore ſublimis;

d nec alterutrum ſublimitas majorem efficit, ſed minorem potiùs,

e & ruinæ magis expoſitum.

f Imò qualis qualis ſit cliens,

publica, queîs facilè mederi potes, incendia negligis;negligis autem?imò verò funeſtas patriæ faces tamdiu bonorũ calumniis ventilas, dum innoxio multorum ſanguine eas inflammes potiùs, quàm extinguas: audi,quiſquis poſt rapinas innumeras, & latrocinia,univerſis Reip.ſpoliis imparem te videns,patriam ipſam, etiam his quos perditos expetis,prædam facis; malus Principi, pejor Reipub. peſſimus tibi:audi,inquam,& mecum falſam hanc arrogantiæ tuæ gloriam, verumq́ue errorem ad trutinam rationis expende.

g *quò maior patronus, eò minor ipſe eſt.*

h *Minimus hominum maximo ſuppedaneo indiget.*

Magnum ſcilicet te credis, & extra fortunam poſitum, quia magnis inniteris: ego verò ideò parvum te arguo, quia magnis inniteris; ideò imbellem,quia potentibus; ideò fortunæ obnoxium, quia fortunatis.Quæ magni reſpuant ſuppedanea, puſillis ſubveniunt, & quidem minimis maxima. Fulcitur muro hedera,palmes ulmo; ſed eò ſolùm, quòd parvus utrique & impotens ſui culmus eſt: ſic clientem ſuum ingens patroni auctoritas elevat,dum extollit: auget animos nimirum fortuna ſublimis, non hominem.

i *Quid, quòd parit vertiginem & lapſum ſublimitas?*

Vis altiùs me tecum philoſophari? Imminuit hominem fortuna ſublimis, dum animos auget. Facilè vertiginem patitur, qui plurima deſpicit, eò vicinior lapſui, quò ſublimior, ſi fulcro præſertim lubrico nititur, ut tibi accidit, & caduco.

Faſti-

Faſtidioſus inprimis eſt amor Principum, breves amicitiæ, quas diſſui rariùs cernimus, quàm diſſecari. Numquam tutò ſceptra timent, aut æmulum ferunt; atque adeò vix privatorum unus omni ſæculo, omni regno integrum tumulo corpus dedit.

l *quia faſtidioſæ Magnatū amicitiæ,* m *& æmulis obnoxiæ.*

Teſtantur id Italica theatra, Iberici cultri, ſclopi Gallici, ſecures Anglicæ. Docet Alexander in Attalo, in Theleſphoro Lyſimachus, in Sejano Tiberius, in Narciſſo Claudius, in Perennio Commodus, in Plautiano Severus, in Ablavio Conſtantinus, in Beliſario Iuſtinianus: noſtrâ verò majorumque memoriâ Fredericus II. in Vineâ, Ioannes in Alvaro, Philippus in Brocâ, Henricus VIII. in Moro, IV. in Ancræo. Fuerunt hi omnes utique ingentes ingentium clientum patroni. Sed quàm exiguum ſit, quod tantis è clientibus reliquum fecit fortuna, facilè intelliges, cùm alios naribus, alios pedibus, alios manibus, alios oculis, alios capite, alios membris omnibus patroni injuriâ truncos, imò nullibi & ubique ſepultos invenies. Nec dubito, quin mox de ſingulis, quod populus olim de redacto in cineres Hercule protulit, exclamabis: *Huc ille decrevit gigas?*


n *Teſtes quamplurimi Principū familiares,*

o *omnes tandem miſerè lapſi.*

Time itaque, vel alieno ſanguine cautior, quiſquis patroni magnitudinem jactas. Securè vivit, qui providè metuit.

VANITAS.

Nova dignitas.



VERITAS.

Aſcenſus iſte, deſcenſus eſt.

VERITAS.

MIRVM id utique videatur, & paradoxum; niſi diverſum te ſimilis Auguſtanæ machina doceat. Invenit hanc, ut fertur, neceſſitas, elaboravit induſtria, fructus exercuit; ut terra, quæ aquarum ubere deſtituta, nec fœtus ſuos parere poterat, nec enutrire, talis inſtrumenti munere, tot venis quot rivis irrigua, in eam paſſim fertilitatem adoleſcat, quæ coloni, licet amariſſimi, vota numquam non ſuperet.

p *Vt machina hæc magno molimine,*

Suſpenditur fluminis medio variis inſtructa gradibus rota, quam perennis aquæ prætercurrentis impetus ſic uſque circumagit, ut axis illius verſatilis columnæ curriculis commiſſus, columnam volvat aſſiduò, columna cochleas, cochleæ aquam; dum id, quod cochlearum infima fluminis imbibit, in vaſa gradatim ſingula, & tandem è vaſis in deſtinatum montis altiſſimi jugum plenis ſiphonibus effundatur: ſic continuo per cochleæ ſpiras aſcenſu ſimul & deſcenſu, dum pars fluminis attollitur ultima, prima deſcendit.

q *& quaſi aſcenſu deſcenſuq; continuo,*

r *aquam ex humili in ſublime tollit,*

ſ *ut repentè præcipitet:*

Multi multa de inventi hujus geometricâ ratione diſſerunt; ſed in eo laborant omnes, ut quâ vi elementum grave aſcendere ſimul & deſcendere poſſit, ſcitè demonſtrent. Vbaldus certè, vir in

Mathematicis eximius,libro rem integro perſecutus eſt; ſed perſecutus,ut creditur,non aſſecutus.

t *ſic nova dignitas hominem è vulgo,* Verùm nihil hoc meâ; illud ago. Sicut aſcenſus hic verè deſcenſus eſt; non ſecùs etiam nova, de quâ tibi jamjam temerè gratulatus es, dignitas. Aquæ multæ populi ſunt, ait virgo vates Apoſtolus: electus igitur è populi medio, per varios amicorum curriculos, ne dicam cuniculos, per prehenſationes innumeras, per effuſa in complures munera, per cochleas, viaſque non rectas ad eum, quem deſignaveras, honoris apicem aſcendiſti: fallor; alieni jam factus arbitrii, qui priùs fueras tui, in piſtrinum ex aulâ,ſervus è domino,deſcendiſti.

u *labore nõ exiguo,*

x *& continuo quaſi aſcenſu,* Nec de nihilo quidem hæc dico: etenim ſi inhonorus honor, non honor eſt, ſed onus; an mirum, ſi qui levior hærebas in humili, jam munere novo gravior depreſſus es altiùs? Et in equuleum aſcenditur, & in crucem; ac è diverſo in lectulum, & in ſedile deſcenditur, & in imo ſæpiùs habitat quies: nonnullis opprobrium,multis ſupplicium, omnibus labor eſt ſcandere: vepricoſi, & lubrici ſunt humanorum gradus aſcenſuum, tremulus vertex, præcipitium horrendum: ægrè conſcenditur ad eminentem ſtatum: anxiè ubi conſiſtitur, graviter inde & repentè deſcenditur.

Sed pleniùs tecum loquar, & planiùs. Vides ut has

has aquæ guttulas idem utique, qui eas extulit, gradus ut plurimùm in viâ, & ubi ad terminum pervenerint, universim repentè præcipitet, quas tamen non nisi longo temporis intervallo in sublime provexit? Ita vix, imò ne vix quidem efferuntur, & decidunt, fluvioque de facili redduntur, unde nonnisi difficulter emerserant.

Attende quod agitur, & molam hanc fortunæ [y] rotam puta; ut non dicam quòd, quo temporis articulo amicorum te favor extollit, hoc ipso te inimicorum invidia subruat. Aut enim competitorem passus es neminem, & frivola est dignitas, quam nemo desiderat; aut si multos habuisti, multos habes & æmulos. Meminisse te pervelim, quòd nec inter amicos desint, qui modò prudentiorum edocti consilio, jam non supra meritum, ut priùs, sed ex merito tuo te judicantes, suis te manibus ruinę exponendum doleant, & dejectum [z] spe citiùs velint, quàm reverà provectum. Memineris oportet, paginæ sanctioris judicio, populum fluxis aquarum vorticibus comparatū; memineris, inquam, ab eloquentię principe candidatorum arenam campum Martium cum Euripo, qui agitationes & æstus patitur quotidie plurimos, non immeritò fuisse collatum: & tum denique cogita, an non proximus ascensui descensus sit. Ascensûs profectò finis, in molę gradibus descensûs initium est;

[y] *aut potiùs descensu evehit,*

[z] *ut mox deturbetur vitio vel alieno, vel suo.*

eſt; & in Republicâ honoris apex gradus opprobrii, non immeritis modò, ſed iis etiam quos virtutis ſuæ patrocinio, communis favor evexit. Plena ſunt ejuſmodi tragœdiis ſcriptorum volumina, plena quælibet ſæcula, plena cujuſvis Reip. monumenta.

[a] *Teſtes varii:* Quid Romanum Diogenem, quid Polycratem Samium, quid Cornelium Scipionem Aſinam, quid Andronicum, quid Lentulum, quid Sejanum [b] *Dionyſius,* memorem? Dionyſius

Ille Syracoſiâ modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit arte famem.

[c] *Beliſarius,* Sileo Beliſarium, invictum quidem hoſtibus Iuſtiniani Archiſtrategum, ſed fortunæ tandem invidiâ ſubjugatum, excæcatum inquam, præ Sophiæ foribus gloriosâ victoriis manu ſtipem ingloriam emendicaſſe. Taceo in nullo Regum fortunam adeò magnas & volucres viciſſitudines feciſſe, neque aliis in negotiis toties ex abjectâ celſam, & humilem è celsâ, quàm in Demetrio [d] *Demetrius,* Antigoni filio, Poliorcete dicto; cui, ut nomine, ita fortunâ ſuppar fuiſſe videtur Demetrius ille, cui Nicatoris cognomentum fuit: ſiquidem hic patriâ primùm, inde & regno exul, pòſt carceris incola, variante demùm ſæpiùs Syriæ fortunâ, & patriâ, & regno, quod aſſecutus denuò fuerat, & vitâ demum ipsâ privatus eſt.

Præ-

Prætereo Lyſimachum, qui quadraginta liberis, aliis alio caſu uno in bello amiſſis, poſtremò ipſe domeſticæ cladi cumulus acceſſit. Quintum denique Cepionem, A. Vitellium omitto, quorum ille Præturæ ſplendore, triumphi claritate, Conſulatûs decore, Pontificis Maximi ſacerdotio id aſſecutus, ut Senatûs patronus diceretur, ſpiritum tamen in vinculis, cor ſcalis in Gemoniis manu carnificis exuit; hic verò, dum ſe & ære alieno, & humili fortunâ vix expedit, Imperator ſubitò proclamatus in Germaniâ, mox in urbem redux, pænè ſimul Auguſti nomine ſalutatus eſt, & appoſito gladii mucrone ſub mento, ne vultum ſubmittere poſſet, cœno ſordibuſque à pueris paſſim impetitus eſt.

e *Lyſimachus,* f *Quintus Cepio,* g *A. Vitellius,*

Hircanum commemoro, qui Iudæorum Rex atque Pontifex per Ariſtobulum exilio, per Antiochum poſt deſectas etiam aures carcere, per Herodem denique morte mulctatus eſt. Iuſtinianum loquor, qui Imperium Orientis ſimul & naſum amiſit, ac poſt varios fortunæ parum conſtantis eventus ad extremum à Philippico unà cum filio ſuo Tiberio ſecuri percuſſus eſt; qui & ipſe vix de exule Imperator factus, mox ab Anaſtaſio proditus, & lumina, & Imperium perdidit. Henricum denique VI. Anglorum Regem profero, quem poſt fortunam regni bis re-

h *Hircanus,* i *Iuſtinianus,* l *Henricus VI. Angliæ Rex,*

ducem, poſt ternos carceres, violenta poſtremò mors ſuſtulit.

m *Ioannes XIII. Pontifex,* Piget exequi, qui potentes brevi ad impotentiam, qui Reges ad infame ſervitium ſint redacti. Ioannes XIII. poſt quartum indepti Pontificatûs annum, cùm in Concilio Conſtantienſi damnationem ſuam confirmare, & tricoronidem infulam deponere coactus eſſet, cùm annos ad minus tres per ignominiam in rerum omnium neceſſitate, ne dicam in carcere, exegiſſet; coëmptâ demum magno auri pondere fugâ, lacrymabundus iis de genu ſupplicare viſus eſt, quos nec alloquio dignatus fuiſſet, dum ſuos Regibus, ut certè aſſolet, deoſculandos pedes præbere conſueverat.

n *Comes Eſſexius,* o *Marchio Ancræus.* At ſæculi noſtri, ferè dixerim, ſoli ſunt Comes Eſſexius, & Ancræus, de quo antè meminimus, Marchio, graviſſima ſanè fortunæ levis, hoc eſt aſcensûs ſimul & deſcensûs, argumenta.

p *Vel etiam fortunæ culpâ,* Sed finge te nec tuo nec alieno vitio cadere; cades fortunæ, quæ nullis infeſtiùs iraſcitur, quàm quos blandiſſimè demulſit. Ludus eſt arcigeris avis lignea omnium ſagittis in ſublimi propoſita: q *quæ ludũ hunc amat,* at fortunæ ludus eſt vir honore conſpicuus, ideò æmulis obnoxius, quia cæteris altior. Audi illam apud Boëtium: Hæc noſtra vis eſt, hunc continuò ludum ludimus; rotam volubili orbe verſamus, infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus:

mus: aſcende, ſi placet; ſed eâ lege, ne, cùm ludicri mei ratio poſcet, deſcendere injuriam putes.

Nulla potens eſt contra fortunam potentia, quæ in ipsâ fortunæ rotâ ſtabilita eſt. Dignitatem ſi dedit, eripiet. Miraris? nomen illi à volubilitate inditum eſt: nam quæ priùs Vortuna à Verto dicebatur, unius mutatione litteræ in Fortunam abiit: vel certè illud à Fero mutuata eſt, quòd temerè & ſine ratione feratur; ab Hebræis etiam à verbo *Pox*, id eſt *fregit*, quòd humana conſilia frangere ſoleat, dicta fuiſſe perhibetur. Vnde & vitreæ vulgò pilæ inerrare veriùs fingitur, quàm inſiſtere. r *teſte nomine ſuo,*

Quare, ut VVillegiſius ille, quem, patre rhedario natum, Otto III. ſubitò primum inter Electores elegerat, in veteris fortunæ ſuæ memoriam, rotam (quæ exinde Archi-Epiſcopatui Moguntino ſemper inſigne fuit) & in muſeo, & ubique ſibi propoſitam voluit: ſic tu inconſtantis hujuſce Deę tibi rotam obverte continuò, ne inopinatum aliquando ſubvertat. Regem hunc ſequere, qui non quadri-jugum, ſed quadri-regem Seſoſtris currum trahens, volubilem triumphantis eſſedi, fortunæ dico, rotulam aſſiduò reſpexit, ut diſceret. Sæpiùs enim, quæ pridie tibi viſa fuerat felix, poſtridie infelix apparuit; quæ publica, privata; ſerva, quæ libera; plebeja, quæ equeſtris; torva, quæ reſpiciens; ſ *teſte rotâ Willegiſii,* t *& Seſoſtris,* u *omnibuſq́; fortunæ titulis.*

ciens; rebellis, quæ obſequens; inſtabilis, quæ ſtata; lubrica, quæ viſcata; fugitiva, quæ redux; reſumptis denique talaribus abiens, quæ poſitis illis, globoque in cubum feliciter converſo, manens. Nulla fortuitis manendi fides eſt: cùm aſcendere credimur, deſcendimus; cùm ſtare videmur, tum vel maximè ruimus. Non eripit ruinæ dignitas, ſed exponit. Aſcenſus iſte, deſcenſus eſt.



VA-

VANITAS.

Imperii ſplendor.



VERITAS.

Non ſibi, ſed aliis.

VERITAS.

x *Vt fax & focus, dum aliis lucendo prosunt,* HABET hoc Imperii ſplendor, quod facis & foci, ut non ſibi, ſed aliis luceat, ac dum prodeſt omnibus, uni officiat ſibi. Conſumitur ardendo ſimul & lucendo focus & facula: *ſibi officiunt;* conſumitur majeſtate, curis numquam ſecuris ardente, qui imperat: y *ſic Imperator* habet nimirum lucem ſuam purpura, habet & ignem; ſed lucem nonniſi ſanguineam, ſed ignem nonniſi arcanum.

Hæc illa lux eſt, quæ divini luminis æmula, z *lucendo aliis,* non deficit diviſa, ſed proficit: hæc illa lux eſt, quæ, ut in ſe nutans ſemper ac tremula cernitur, ſic aliis conſtanter benefica, iis præſertim, quos vel patria, vel genus obſcuros habet: hæc illa lux eſt, quâ Principum incomparabilis idea Salomon, ſagaciſſimos Reginæ omnium, quas Oriens vidiſſe ſe meminit, prudentiſſimæ oculos ſic rapuit; ut cùm patriis egreſſa finibus propiùs illam fuiſſet intuita, ipſam quoque ſibimet rapere viſus ſit, nec illam modò, ſed omnes prætereà, quibus vel Solymæ nomen dumtaxat innotuit: hæc illa lux eſt, cujus à lumine Conſul, Prætor, Quæſtor, Ædiles, Tribunus, Chiliarcha, Senator, & quiſquis demùm vel domo vel munere clarus eſt, ſplendorem mutuat: ſed tamen hæc etiam illa lux eſt, quæ quòd

omnibus

omnibus in ſublimi propoſita ſit, ut multos recreat, ita ſecum plures offendit.

In alto ſiquidem poſitos, propter diſſimilitudinem, humile vulgus odit. Arduum eſt tot hoſtium vultus, tanto in ſe ſtudio defixos, in arduo fugere. Livor abdita penetrat, & putas, conſpecta prætereat? Falleris: nulla Regibus ſine metu, nulla ſine tumultu animi dies eſt, nullæ non ſuſpectæ deliciæ, nulla quies non inquies; dum ubique cervicibus impendentem Damoclis mucronē vident. a *ſibi nocet.*

Vt enim periculi nihil ſit, quòd in quibuſdam urbibus natura civium præſtat apta ſervitio; quando tamen pavor aberit animo recolenti illud Laberii: Multos timeat neceſſe eſt, quem multi timent? cujus illa eſt ratio, quam docet Ovidius:

—— Quem metuit quiſque, perire cupit.

Habet hoc inſuper ſingulare Principum vita, ut quibus fidendum eſt, diffidant ſemper, fidantque quibus fidei nihil eſt. Adde, quòd inter ejuſmodi conſiliarios ferè conſtituti ſunt, quorum pleroſq; aut æmulatione diſcordes, aut fide dubios, aut veritatis odio infenſos habent; planè ut eorum ſententiam nec illis integrum ſit non audire, nec tutum ſequi. Sic in ſe nutat & tremit aſſiduò lux illa, quæ cæteros animat.

Et ſanè quomodò non nutet ac tremat aſſiduò, qui habere ſe ſentit in arenis domum, in prærupto

ſedem,

ſedem, in miſeriis ipſis invidiam? Rarus eſt Imperator populo charus; rarior tam charus, ut non charior illo ſucceſſor foret. Hi ſunt vulgi mores, odiſſe præſentia, futura celebrare.

Non te ad hiſtorias Græcas hîc mittam, aut Latinas: quis enim, inter omnes Imperii quondam Romani luce conſpicuos, celeberrimas regni victimas neſcit? ad unius dumtaxat Galliæ, Principibus ſuis, neſcio quo fato, ſemper infeſtæ, Reges te provoco; videbis iſthîc maximè verum eſſe illud Satyrici:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges. ———————

Videbis regnum à pleriſque ferro partum, ferro ſervatum, ferro amiſſum. Sic videlicet lucem ſuam habet purpura, ſed ſanguineam.

b *& ardendo aliis, ipſe conſumitur.* Verùm habet & ignem; ignem nempe, qui dum alios fovet, ſe deſtruit; nec omnes fovet quidem, ſed veluti prudenter amicos reficit, ita temerè familiares adurit.

Quid enim Imperium, niſi ſtatus virtuti arduus, vitio pronus: ſtatus, inquam, certi laboris, mercedis ambiguæ, ſed ut plurimùm infauſtæ? Audi me.

c *Teſtis Imperii conditio,* Quo die primùm Imperator denuntiatus es, fulgidas compedes, claramque miſeriam induiſti, ne dicam, tibi moriens, aliis vivere incœpiſti, quodq; duriſſimum eſt, ingratis.

Si mihi non credis,morientis omnes & nati ſolis Imperatores interroga; & uno ſimul ore reſpondebunt, eodem ſe calle ad ruinam & ad Imperium aſcendiſſe. Quòd ſi omnibus innoteſceret, non diſſiderent Thebis, etiam amborum à morte, ob unius ſceptri regimen fratres duo; ſed plura jam dubio procul regna forent,quàm Reges. d *moderator,*

Clariſſimum nomen Imperium eſt, ſed duriſſimum munus. Non habitat voluptas in arduo, laboris hoſtis eſt, quietis amica, quam certum eſt, omnium,qui egregio publico ſtuduêre,Principum eveniſſe hactenus nemini.

Hinc bello, inde paci, iſthinc ærario invigilandum eſt, ſi non tuis, alienis ſanè, ne te tuis evertant. Nec tamen,quod peſſimum reor, par ſemper neceſsitati theſaurus eſt. Nemo Principibus ditior,nemo pauperior: effundere coguntur in alios, quo ſæpiùs ipſimet carent aut indigent; atq; adeò ad opima de optimatibus ſpolia, ad intolerabiles ferè à ſubditis largitiones, ad privatas inimicitias, & odia publica, ad bella civilia, ad ſuam denique & regni perniciem adiguntur, vel etiam inviti. e *curæ.*

Sic nimirum & ignem ſuum habet purpura, ſed arcanum; ſic aliis non ſibi lucet & ardet ſplendor Imperii.

VANITAS.

Magna claßis.



VERITAS.

Venti ludibrium.

VE-

VERITAS.

QVOD molitur ætas robuſtior, hoc præludit imbellis; ſed utraque luditur, viliùs hæc, illa pretioſiùs; hæc in crepundiis, illa in negotiis, utraque in deliciis; hæc rhombum aëri, illa claſſem æquori credit, utraque vento: utrumque magno molimine ventus in altum ſubvehit, & nullo mox negotio repentè præcipitat; utrumque modicus auræ ſibilus animat, & immodicus, aut nullus exanimat. Ac de rhombo quidem inter pueros conſtat, de claſſe verò inter omnes.

Puerilis rhombus, & naviũ claſſis, g *venti æquale ludibrium ſunt.*

Quis enim neſcit, roſtratas mille ducentas, & onerarias ad tria circiter millia, quas in Græcos Xerxes armaverat, tribus hominum myriadibus inſtructas ſupra viginti, ut plurimùm Æolo per ludibrium triumphatas? Quis neſcit fœderatas inimico rebelli fœdere Provincias, licet eâ navium copiâ potiantur, quam aſſequi ſe poſſe ceteræ deſperent Reſpublicæ, plura tamẽ, ſi rem ad calculos evocent, naufragia numerare poſſe, quàm navigia. Hoc certũ eſt, tam opima de omni genere navium ſpolia vento ceſſiſſe; ut, ſi omnes, quas maris abyſſus abſorpſit, viſui pateant, univerſum, quaquâ diffunditur, Oceanum triplici, ut minus, ſororum ordine conſtratum repertum iri nullus addubitet.

h *Claſſis Xerxis numeroſiſſima,* i *Batavi frequentiſſima,*

l *Hiſpani potentiſſima anno* 1588. Sed quid externa recenſeo? quid enumerando dubia rem indubiam in dubii ſuſpicionem adduco? Senſit hæc patria, luxit Hiſpania, gaviſa eſt Anglia circa annum à nato in terris Deo milleſimum ſupra quingenteſimum octogeſimum octavum eam claſſem à vento expugnatam, quæ non Angliæ modò, & ei, quam fœderatam vocant, Belgicæ expugnandis par erat, ſed hoſtibus prætereà Chriſtiani nominis univerſis. Ini mecum, ſi placet, & navium illius numerum, & apparatûs molem, & commeatûs impenſas; & tum demum judica, an falli me credas, an fallere, an verò comperta deſcribere.

Quadriennium, ut fertur, integrum in claſſis hujuſce fabricam variis in Provinciis labor incubuit. m *ratione multitudinis navium,* Antverpiæ, Dunkercæ, Sluſæ, tanto ſtudio ædificatum, ut ne noctu quidem, aut ſacratis diebus operę intermitterent. Miſſi quoque Gedanum conquiſitores emendis ratibus. Nec ſegniùs in Hiſpaniâ puppes, ſocioſque navales Rex collegerat. Naves, quæ ex Hiſpaniâ ſolverant, quinque & quadraginta ſupra centenas erant: n *& magnitudinis,* eo ex numero centum & decem armatæ, nonnullæ ſeptingentarum eoque amplius vehium; o *ratione tormentorum,* Ceteræ commeatus, ac neceſſitatum alia ſubvehebant; hominum aliæ octingentos, millenos aliæ, tormenta verò quadraginta, aut quinquaginta, p *militum,* quorum in univerſum millia

millia duo, & quingenta promiſcuæ magnitudinis. Nautarum ſociorumque navalium, præter copioſiſſimum militem, millia duodecim, mixtum genus ex Hiſpanis, Luſitanis, Cantabris, Gallo-Britannis, Hollandis, ex Septemtrione, totâque adeò Europâ maximis ſumptibus conquiſitum. Naves ipſæ & altitudine & robore caſtellis pares; ligna quinûm in craſſitudinem palmorum, contra quamvis communium tormentorum injuriam. Aderat flos omnis nobilitatis Hiſpanicæ, ne ſcilicet expeditioni deforet, qualem in exteras gentes Hiſpani numquam ſuſceperant.

q nautarũ.

Emiſſus Madriti in publicum libellus, quo accuratè claſſis hujus rationes confectæ erant; qui navium, qui militum, qui ſociorum navalium numerus, qui Præfecti, Centuriones, Signiferi; recenſita quoque tormentorum copia, & pulveris pyrii, commeatus bis cocti panis, laridi, caſei, orizæ, fabarum, piſorum, olei, aceti, vini, recentis aquę, ſimiliumque, cujuſque menſurâ quàm accuratiſſimè adſcriptâ.

r commeatus.

Eo ex indice, ut pauca repetamus, fuêre in claſſe ad XIV. mille, centum & ſeptuaginta cados vini, quæ menſura culeos rhenanos ſeptem mille & octoginta quinq; facit. Cetera hinc conjectare in arduo non eſt. Senûm menſium annona univerſæ claſſi proviſa. Armorum quoque, pręter quę miles

s *armorū,* quiſque geſtabat, ingens vis ad quemvis caſum; tuborum longiorum millia ſeptem, & quæcumq; ad eos pertinebant, breviores mille, haſtæ altiores, & bipennes totidem, ligones, & quodvis inſtrumentum pro foſſoribus ſeptingentis congeſta erant; currus prætereà, carri, funes, terebræ, & quæcumque neceſſaria aut erant, aut videri poterant. Tantæ molis erat, per ſe quidem non vanum Europæ terrorem, ſed, permiſſu Numinis, inane ventis ludibrium ſtruere.

t *magnâ ex parte tēpeſtate periit, vento facta ludibrium.* Oppugnata ſiquidem claſſis hæc tum ab Hollandis, tum ab Anglis per vices aliquot, dum Parmenſi, qui Belgicæ prȩerat, jungere ſe non poteſt, rupis ad inſtar ſubſtiterat. At tertiâ demum Septembris die, exorta repentè tempeſtas immanis, ſic univerſam protinus expugnavit, ut circa Hiberniam, dierū dumtaxat binûm ſpatio, duȩ ſupra triginta perierint, amiſſis ad millia decem hominibus. Ceteræ in Norwegiam, aliæ aliò delatæ, quædam longè adeò provectæ, ut ne famâ quidem umquam quidquam de iis compertum ſit.

Sed quid ad hæc tanti moliminis caput, & Princeps Philippus, id nominis Secundus? In homines armaveram, inquit, non in Deum. Rectè. Intelligebat nimirum, etiam claſſi attribui poſſe, quod patientis animi corporiſq; ſpeculum, Orientis Propheta ſimul & Regulus de ſe dixerat: *Quia ventus eſt vita mea.*

VA-

VANITAS.

Numerosus exercitus.



VERITAS.

Publica pernicies.

VE-

VERITAS.

u *Insanum, de numeroso exercitu gloriari.*

IMPIA vanitas, ne dicam amentia! Quis umquam pestiferam pro salute febrim coluit? quis de publicâ pernicie gavisus est sapiens? nemo profectò, nisi, qui nimiâ fortè præfidentiâ nimiùm sapiens, omnem salutis suæ spem numeroso posuit in exercitu, quem & suam, & Reipublicæ pestem credere potiùs debuerat.

x *Vt pestis omnia destruit,*

Quid enim pestis, nisi contagiosa quædam lues est, quæ mox ubi funestam, quâ maximè pollet, putredinem cordis ipsius adytis insinuarit, sicut evestigiò urbes civibus, ærarium pecuniâ, populos commercio privat; ita tumulos cadaveribus, domesticos periculo, vicinos metu, Rempublicam luctu obruit?

y *sic numerosus exercitus.*

Quid numerosus item exercitus, nisi quædam perditorum colluvies, vitiorum contagio, hirudo pecuniæ, agrorum sterilitas, vastitas urbium, pauperum oppressio, ruina divitum, sacrorum interitus, omnium pernicies?

Nec facilè noxiam magis publico pestem ostenderis, per quascumque demum historias, ab ultimâ licet hominum memoriâ repetitas, quàm individuum belli comitem & fautorem exercitum.

Non

Non tacebis, ſcio, notiſſimam olim Græcis contagionem illam, de quâ Lucretius ait, nullum ferè hominem id temporis Athenis repertum, quem vel morbus, vel mors, vel luctus non attigerit. Nec eam ſilebis, quæ ſub Veſpaſiano decem quotidie millia hominum Romæ ſuſtulit. Nedum hanc omittes, quæ ſub Leone Iſaurico trecenta circiter hominum millia Conſtantinopoli interemit. Sed iſtam præ ceteris, opinor, objicies, quæ ſub annum 1570. quatuor dumtaxat menſium ſpatio, Moſcoviam ducentorum quinquaginta millium ſtrage depopulata eſt.

[z] *Peſtis multas urbes & gentes depopulata eſt.*

Verùm, vide quantum tibi, cauſſæ meæ bonitate confiſus, elargiar. Eſto, vera ſit incredibilis illa, ne dicam mendax, octingentorum & ſexaginta millium clades, quâ, ut Goulartius refert, ſub annum 1578. Cairum ferè totam peſtis evertit: nihil tamen hæc admodum ad ſtragem illam facient, quam ubivis gentium is peperit exercitus, quem certam tuæ ſalutis anchoram credis. Vtinam non falsò, ut Holofernes olim, quem Hebræa mulier perdidit; ut Valentinianus, quem ſocius prodidit; ut Maximi duo, pater & filius, qui, quos milites ſuos appellabant, invenêre carnifices!

[a] *plures exercitus.*

Verùm ne promiſſi diutiùs me reum agas, audi me clades recenſentem, non quas à multis retrò ſæculis nati denatique ſolis vidit Imperium; ſed

[b] *Teſtis vel ſola Belgica,*

eas tantùm, quas ab annis circiter bis triginta ſenſit hæc Belgica, quam ab hæreditariis quaſi belli calamitatibus Bellicam veriùs dixero: pacis ſiquidem uſque adeò ignara eſt, ut nomen illius perceptum ſibi aliquando meminerit, fructus numquam. Audi me, inquam, & ex unius anguli ſcintillis totius orbis incendium diſce.

Vtinam, utinam tam exiguo in nos tempore aut furore debacchata fuiſſet belli rabies, ut neſciri ſe pateretur! Adhærent hodieque templis noſtris, adhærent ædibus facies illæ funeſtiſſimæ; ac tametſi populatrices illarum flammas clemens Dei manus uno forſan in angulo latiùs in præſens dominari prohibeat, fumum tamen hactenus omnium oculis infeſtum voluit, & præſentẽ præteritæ ſtragis indicem fixit. Clamat hoc terra colonis, mare nautis, urbes mœnibus, theſauri pecuniis, domus civibus, parentes liberis, curia Magiſtratibus, mortui ſepulchris, ſepulchra cadaveribus, templa ſacerdotibus, aræ denique ipſæ Numine ſuo toties ſpoliatæ.

c *vaſtata ex integro,*

Sed memoriâ dignum eſt, quod Margareta, quam à nuptiis ſecundis Parmenſem vocant, dum à Belgii moderamine miſſionem rogat, 8. Septembris anni 1567. Regi in hæc verba conqueritur: Tantum auctoritatis, tantum militum Albano Duci attributum, ut illud exiſtimationi ſuæ, hoc com-

d *& depopulata,*

compoſito Provinciarum ſtatui multùm officiat. Iam enim ex iis, qui aut præſenti hoſpitiorum onere, aut veniæ deſperatione, aut futurarũm calamitatum metu, in alienas terras profugiebant, ſecumque pecuniam & ſupellectilem aſportabant, centena circiter hominum millia numerari. Vnâ re ſuſtentari ſe pariter ac populos, adventu Regis, qui, ut porrò certiùs ſperaretur à Provinciis, quatuor antè diebus VVacquenium, pro Hornano maris Præfectum, cum novem inſtructis milite navibus in Hiſpaniam properaſſe. Quòd ſi mutatâ fortè ſententiâ differre adventum in aliud tempus ſatius haberet, orare ex animo, ut ſe nono jam anno moderantem Belgio, diuturnâ adminiſtratione liberatam velle, pro ſuâ indulgentiâ, ne gravaretur.

Porrò ſi tot orbata civibus patria, cùm nihil etiamnum ſanguinis humani gladius hauſerat; quid non medio deinde ſæculo effuſum credimus, cùm Moſa, Rhenuſque, & Scaldis, & reliqui per Belgium rivi, toties humano ſanguine decolores, trunciſque legionum artubus, & magnarum ſpoliis animarum tumidi, erubuêre, quod ſenſerant; cùm fractis inſuper Oceani clauſtris Neptunum ipſum miles in certamen elicuit, mare ceu terram pedes invaſit, terram immiſſo navigavit mari, elementiſq; ſimul omnibus civis in civẽ pugnavit?

e etiam ſub initium turbarũ.
f nedum poſt.

Si ſola, quam nullus à bello non novit
Oſtenda, Flandris Troia, tot Hectorum,
Tot Neſtorum perenne buſtum,

g *Quot millibus Oſtenda ſola ſtetit etiam victori,*

h *quot urbes aliæ.*

duorum ſupra ſeptuaginta millium ſanguine, Alberto etiam victori, ſtetit? quis non urbium ceteras (quarum tamen nulli belli furor parcere viſus eſt) integro cruoris diluvio venditas pariter & emptas intelligit?

i *Quin etiã peſtis damna, belli damna ſunt.*

Quid, quòd deletis idemtidem magnis exercitibus, majores iterum copiæ undique gentium ſubmiſſæ certatim opplevêre campos, & uno in Belgio tota velut Europa pugnavit & cecidit? Adde numeroſos, quos mihi tantopere jactas, exercitus, tot animarum quoque reos meritò dici, quot hîc aut annonæ caritas, aut ipſa contagio, utraque belli pediſſequa, publicaque pernicies ſuſtulit.



VA-

VANITAS.

Insignis victoria.



VERITAS.

Aliena gloria.

VERITAS.

SCilicet, Horati, — *Moveat cornicula risum,*
Furtivis nudata coloribus; ———
& alienâ te victoriæ laude prætumidum mirer ac prædicem? Ita ſanè, ſi tui ſimilis, quid agam, neſcio: verùm ſcio quàm optimè, & nihil minùs tuum eſſe pronuntio, quàm quod maximè tuum exiſtimas. Age, ſodes, unice tot millium victor invicte, ſolus modò cum ſolo congredere, & me quoque victis adde, ſi potes. Metuis? te provoco.

l Alienis plumis gloriatur Horatij cornicula,

m alienâ laude victor.

Quid ais? Victoriam, quam uni tibi propriam vendicas, arte an Marte partam autumas? Si arte, quis illam excogitavit? præſentiſſimus machinator, & militarium operum conficientiſſimus. Quis exercuit? miles. Gregarius forſan; imò verò egregius adeò, ut nemo non palmaris. Quis præfuit? Dux celeritate, fortitudine, prudentiâ, felicitate nemini non præferendus. Quid in urbem aditum dedit? ſtratagema. Quid ſtratagemati? navis. Quid illa? ceſpitem vexit. Quid iſte? texit militem. Quid inde? jugulavit hic vigiles, ſocios excivit. Nihil inde refertis pyrio pulvere machinis ad valvas actum? diſſiluêre repagula; & ecce ſubſidium: plateas ilicò quaquà verſus eques infeſtas habuit, nequà fortè vires diſperſæ coïrent, pedes curiam,

n Victoria, ſi arte parta,

o multum ad alios pertinet,

curiam, portas & aptiſſimas quaſque urbi tuendæ ſtationes, ac contubernia militum occupat. Tu verò quid inter hæc? ſolviſti ſtipendia? Solvit & victus. Iuſſiſti ſtratagema? egregium facinus: ſi perinde victoria voluntatis merces eſt, atque potentiæ, nemo non vincat. [p] *nihil ad victorem:*

Quid igitur illam tibi propriam judicas, quæ, vel ipſo te judice, nullius minùs eſt quàm tua.

Sin autem Marte partam vis; age rurſus in arenam deſcende, ne vel opinione tuâ victor hinc abeas. Cedò, prælufit pugnæ veles? prælufit. Iuſtis deinde caſtris utrimque certatum eſt? æquis; nec tamen aut in ullo duce militem, aut in milite ducem deſideravi. Quin muralibus urbem machinis verberandam Chiliarcha curavit? curavit; ſed par fuit murorum & hominum contumacia. Quid bombis attentatum? caſtella. Quid vineis? foſſa. Quid cuniculis? tormentarii ſuggeſtus, & aggeres, qui tandem, foſsâ ruinis ſuis exæquatâ, adeundæ urbis, & victoriæ gradum militi præbuere. [q] *ſic etiam ſi Marte,*

Sed nihil hæc tuâ: ſaltem eminus victores ſpectaſſe te prædica. Quin verò, quod rei caput eſt, animavi. Nugas agis; animavit & tubicen. Conſilio, inquam, & imperio fortunam ſtiti. Iterum nugas agis. Quis non amplius præliaribus & decretoriis victoriæ manibus, quàm inermibus pugnæ ſpectatoribus oculis tribuat? [r] *nihil ad victorem,*

Quid,

f *ſed plurimùm ad militem,* Quid, quòd ipſa, quam ſtitiſſe te memoras, fortuna non infimam ejus, quam tuam vis, victoriæ ſibi partem vendicet?

Cenſuit hoc ſanè non verè minùs, quàm gratiosè de Cæſare apud Cæſarem Cicero. Soleo, inquit, ſæpè ante oculos ponere, idque libenter crebris uſitare ſermonibus; omnes noſtrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentiſſimorumque populorum, omnes clariſſimorum Regum res geſtas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudinis bellorum poſſe conferri; nec verò diſjunctiſſimas terras citiùs cujuſquam paſsibus potuiſſe peragrari, quàm tuis, non dicam curſibus, ſed victoriis luſtratæ ſunt. Itaque, Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur, illa quidem, non ſolùm noſtris, ſed pænè omnium gentium litteris atque linguis, neque ulla umquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed tamen ejuſmodi res, neſcio quo modo, etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore militum videntur, & tubarum ſono. Et certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multum juvant; t *& fortunam.* maximam verò partem, quaſi ſuo jure, fortuna ſibi vendicat, & quidquid eſt proſperè geſtum, id pænè omne ducit ſuum.


Audis

Audis hæc, famæ victor, non pugnæ, & adhuc aliquid tibi è victoriâ, aut te victoribus adſcribis? Rectiùs enimverò te victis adnumeres, qui palmaribus inſtructus copiis, herbam inermi porrigis.



VANITAS.

Votorum ſumma.



VERITAS.

Longus labor, brevis uſus.

VE-

VERITAS.

BENE eſt, abundè eſt, parta jam, parta eſt quies.
Optaui tenero quidquid ab ungue, meum eſt.
veriùs diceres, breve eſt. Brevis hîc omnium, brevis etiam fortunæ curſus eſt, maximè proſperæ. Stultus nauta, qui tunc demum tranquillitatem ſibi ſpondet, cùm portum fugiens, in altum venit. u *Votorum ſumma,*

Diſce vel à lino, quod moneo. Vt enim hæc rari ſtaminis carbaſus, immenſi laboris opus eſt, usûs exigui; ita, quod à cunis ad tumulum uſque proſecutus es, votum, nec adhuc, ſi rectè judicas, aſſecutus; toties vitæ tuæ ſudor eſt, nec unius forſitan horulæ fructus, fortè luctus omnium. x *ut tenuiſſima carbaſus, longi laboris opus eſt, & brevis uſus;*

Vllámne humanis in rebus conſtantiam exiſtimas? Labuntur ac fluunt omnia, ſuæque nos ruinæ continenter involvunt. Nec ipſum adeò ſolem per dies ſingulos reſtaurata nativitas, ab interitu vindicat. Indies oritur, indies moritur, & quot habet imperii momenta, tot habet & fati ſui monumenta. Paſcit ſe, & depaſcitur ipſe flammis ſuis ignis, & conſumitur aër ab omnibus, quos arcano dente conſumit. Flumina quoque tantæ viciſſitudinis metu conterrita, omni vi & viâ, quâ poſſunt, ſe in fugam conjiciunt, ac in maris, ceu matris ſuæ, y *quia nulla in rebus omnibus conſtantia.*

 ſinum

ſinum abdunt ſe univerſa:ſed charybdim fugiunt, & in ſcyllam incidunt. Iuveneſcunt plantæ in annos ſingulos, & conſeneſcunt. Vt naſcitur aſſiduò phœnix, ſic aſſiduò quoque denaſcitur: & veniet aliquando dies illa, quæ parricidam ſui conſtituet, quem huc uſque ſemper lux viderat patrem. Ipſa denique artis noſtræ & induſtriæ monumenta naturæ ſerviunt, adeoque & tempori, quod ipſius quæſtui præſidet, quotidianum interitûs ſui vectigal appendunt.

z *Sic Carolus V. exemplo ſuo docuit,*

Quid in tantâ rerum omnium inconſtantiâ, inconſtans ipſe, præter inconſtantiam conſtans ſperes, ſanè non video. Noverat illud, & alterno, quem viderat, rerum humanarum æſtu, penitùs imbiberat Carolus id nominis Quintus. Vnde, cùm poſt expeditiones profectioneſque varias, novem in Germaniam, ſex in Hiſpaniam, ſeptem in Italiam, quatuor in Galliam, decem in Belgium, duas in Angliam, totidem in Africam, mari undecies remenſo, poſt bella, paces, fœdera, victorias, tantæ felicitatis omnia, ut Carolum vixiſſe & imperaſſe, nullos niſi hoſtes pœnitere poſſet; cùm, inquam, etiam Franciſcum I. Galliæ Regem è Ticinenſi prælio captivum abduxiſſet, celeberrimoque ſymbolo ſuo, *Plus ultrà*, ſubſcriptum, appoſito per ludibrium cancro, notaſſet, *Plus citrà, hodie mihi, cras tibi*: non captivo ſuperbè ſuccenſuit, ſed ſubmiſsè

a *& ſententiâ.*

miſsè prorſus ac verè de ſeipſo ſentiens, ſubjungi tritum hoc voluit, *Homo ſum, humani nihil à me alienum puto*. Item cùm Imperatoris, hactenus invicti, genium in Henricum Galliæ Regem immigraſſe, ex Metenſi potiſſimùm quadraginta millium clade didiciſſet, non annos illi ſuos, non palmas, ſed (quòd amicam juvenum eſſe fortunam, ſuamque jam faſtidio ac ſatietate captam crederet) filii ſui juventam oppoſuit, atque adeò præmori ſibi certus, poſthumũ regni donum in Philippum tranſferens, fato præripuit. Sed his nunc omiſſis linum conſule.

Numquid, ut in futilem trium admodum dierum laciniam adaptetur, ſerendum priùs, ſarriendum, evellendum, ſtringendum, macerandum, inſolandum, molliendum, flagellandum, pectendum, nendum, occandum, coquendum, texendum, dealbandum, lactandum, poliendum, complicandum, ſecandum, ſuendum, lavandum, ſtipandum, & numquam denique non hominis alicujus, aut inſtrumenti arbitrio exercendum? Non ſecùs illa tibi tamdiu ſperata felicitas, ecquando te tandem inviſit? nempe, cùm votis, cùm curis, cùm labore, cùm æſtu, cùm frigore, cùm inediâ, cùm vigiliis, cùm invidiâ, cùm opprobriis, cùm odio, cùm rixis, ſi non emortuum, attritum certè, mors eâ te frui vix, imò ne vix quidem, ſineret:

b *Sicut carbaſus breviſſimi usûs longiſſimo labore paratur:*

ſineret: brevi ſiquidem in vitæ ſtadio quid non breve eſt?

c *ſic & votorum ſumma;* Quin obſervatum ſæpè ſæpiùs, mox omnia ſimul à morte ſurripi, cùm ſors omnia contulit. Illa videlicet tyrannis æmula, victimas non niſi ſaginatas amat: hæc lanionibus ſimilis; ſaginat, ut necet. d *at mox tollitur.* Sic Marium, qui fortunæ ſemper imperare creditus fuerat, numquam ſervire, pòſt exantlatos domi militiæque labores innumeros, prima dies Conſulem, ſecunda miſerum, tertia vidit interemptum. e *Teſtis Marius,* Sic &, Chriſto teſte, Euclioni Evangelico, poſt ſtrangulata meſſibus horrea, labore, ut aſſolet, nec levi nec brevi, ne unius quidem noctis inducias mors indulſit. f *teſtis dives Evangelicus.* *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & hæc quæ paraſti cujus erunt?* Quid, quòd inquietum eſt cor noſtrum, ut Aurelius ait, donec in illo quieſcat qui omnia movet immotus: ac proinde nec voto te quidem tuo hîc potiri poſſe jam liquet, nedum frui. g *Adde, nec votorum quidem ſummam hic dari.*

Nihil itaque votorum ſumma, ſi juſtus es arbiter, niſi longus labor, brevis uſus. Erro: longus labor eſt, & longus abuſus.

VA-

VANITAS.

Flos vitæ.



VERITAS.

Defluit ultrò.

VE-

VERITAS.

Pergis, ut video, caput impudens, pergis æternum promittere, quod breve convicimus. Sed perge, nihil moror; tuo te gladio jugulas. Quis hujus rei teſtis eſt? idem qui, ſi tibi credimus, adverſarius, flos ipſe.

h *Flos vitæ,* Eſt mihi, inquis, flos vitæ. Benè habet: ſic enim unus omnium, qui rerum naturas exploratas habent, conſenſus hominem arbori, adoleſcentiam flori, fructui virilem ætatem comparat; ſed, quod inde conficitur, cæcitas humana non videt: tu vide, mi cenſor, & judica.

i *ut flos arboris, defluit ultrò;* Age, vel ad momentum has, quas præ oculis habes, arbores intuere, & ceteras, quas oculis non potes, animo percurre; mox dices, Flos defluit ultrò. Si fateri renuis; ipſe te arguet, & aſſiduo caſu in ſe teſtimonium dicet. l *non item fructus.* Ecce dum loquimur, areſcit, & nullius impulſus attactu, continuò defluit; fructum verò, niſi ſi arbori vim adferas, non auferes.

Quorſum hæc? audi. Non eſt juvenum vita ſenectute ſecurior, m *Citiùs perit adoleſcentia,* aut à morte remotior: quin verò ea periculoſior eſt vitæ pars, quam ſecuritas nimia reddit incautam, intraque breve vitæ ſpatium nihil eſt procul. Principium quidem vitæ eſt flos iſte,

iſte, atque adeò ab extremo facilè remotior creditur, ſed falsò : tunc enim id rectè dumtaxat diceretur, quando omnes æquis ſpatiis viverent: nunc pluribus viis, & ſæpiùs prima ætas in mortem incidit. Ipſe adeò maternis adhuc viſceribus incluſus embryo, ſæpè priùs tumulo datur, quàm luci, ne dicam vitæ. Plures fructibus flores nullo negotio decidunt, plures macello vituli quàm boves mactantur. Et ſanè, inſignis ſenum raritas, ingens adoleſcentiæ crebriùs morientis argumentum eſt.

n quàm maturior ætas.

Quid plura? non ſecùs, ac ea quæ per acutum, ut Mathematici loquuntur, vitrum oculis objiciuntur, cùm maximè diſſita videantur, contigua ſunt: ſic fit, ut plerumque vicinior ſit morti, qui remotior videbatur. Cauſam quæris? Nihil eſt alteri vicinius, quàm mors vitæ, flos ruinæ.

o Mors illi vicina, etſi remota videatur.



VANITAS.

Ætas integra.



VERITAS.

Carpitur aßiduè.

VERITAS.

QVOMODO integra, quæ, ex quo eſſe cœpit, carpitur aſſiduè, & minutiſſimis portiunculis, dum datur, eripitur? Quomodo integra, cui multum deeſt; & quantulum ſit quod reſtat, incertum eſt?

p *Ætas integra aut plena*

At lunam Aſtronomi plenam, vel, ſi mavis, integram vocant, dum quò creſcat non habet, ſed quò in ſingula pænè momenta decreſcat. En iterùm capra ſibi cultrum. Imò verò habet, habet eadem hæc luna, quo rurſus innovata ſuccreſcat: nec quantulum ſit quod ei ſuperat, incertum eſt. Tantò minùs integra eſt ætas tua, quàm lunæ facula; tantò minùs certa, quòd incerta futuri eſt, certa præteriti, nullis umquam remediis inſtaurandi; hoc tamen illi ſimilis, quòd numquam ſibi ſimilis.

q *minùs dici poteſt, quàm luna:*

Motu ſiquidem perpetuo cælum volvitur, momenta horas, hora diem rapiunt, is alium diem trudit, iſque alium, & numquam quies: ſic menſes prætereunt, ſic anni; ſic & ætas currit ac properat, imò volat. Ex quo loqui cœpimus, mutatio illi aliqualis inceſſit, & modò per ſingulos ſyllabarum tractus vitæ aliquid diſcedit, accedit morti: ſemper illa præterlabitur, ſemper hæc inſtat.

r *quia ſemper illi aliquid deeſt,*

s *propter assiduam tẽporis incõstantiam,*

Clariùs tecum loquar. Quam ætatem, amabò te, quem annum, quem menſem, quem diem, quam horam, quod vitæ tuæ momentum integrum vocas? An præteritum? at illud jam eſſe deſiit. An futurum? at hoc nondum eſt. An præſens? at iſtud, ſi rectè ratiocinaris, cùm eſſe dicitur, jam non eſt; aut ſi eſt, ita diviſum eſt, ut ipſius initium finis ſit præteriti, & finis initium futuri.

t *cujus nulla pars, ut præſens, deſignari poteſt.*

Inſignis verò integritas, quæ nec minimâ ſui parte ita aliquando integrè præſens eſt, ut non magis ſit abſens, aut veriùs non ſit.



VA-

VANITAS.

Vita longæva.



VERITAS.

Pejor fortuna superstitis.

VERITAS.

u *Defuncto juvene lõgævus senex infelicior.*

QVID inter immaturè defunctum juvenem, maturumque senem, illi adhuc superstitem, interest? Nihil, nisi quòd ille miseriis expeditus sit, hic obnoxius; ille carcere solutus, hic vinctus; ille in patriam redux, hic exul; ille in portu quiescat, hic fluctuet in mari; ille brevi tempore mortem timuerit, hic longo; ille periculi jam securus agat, hic anxius incudem inter & malleum trepidet, certus tamen, intra minimam momenti particulam (quid enim totus universi decursus divinis in oculis nisi momentum est?) eo loco se fore, quem alter nunc occupat.

x *Duos inter reos ultimò superstes infelicior est,*

Quòd si nescit, hoc ipso magis miserum reor, quòd minùs miserum se sciat; nisi fortè è duobus aliàs capitali simul supplicio addictis, ille felicior est habendus, qui novissimè jussus est dare colla securibus, quod quis sanæ mentis asserere præsumat, non video. Hoc scio, verum esse, & omnibus ûsu magistro percognitum,

y *quia mortis timor morte pejor.*

Pejor est letho timor ipse lethi:

ac proinde pejor hæc est rei fortuna superstitis.

z *Hinc in pœnam reorum pessimus ultimò plectitur.*

Hinc est, quòd, qui inter sceleratos dux esse convincitur, omnium postremus mori jubeatur; ut, dum aliorum miserandos exitus videt, moriatur in singulis, qui peccavit in omnibus.

Tuam

Tuam hîc iterum fidem appello, Vanitas. Quid ais? quid infelicius autumas, unâ morte perfungi, an tot mortibus exanimari, quot ante oculos noſtros funera indies efferuntur? Audio, das manus. Hoc itaq; manet in causâ, pejorem eſſe fortunam ſuperſtitis rei; ego verò addo, etiam ſenis, parium enim non poteſt non eſſe par ratio: in eo tamen diſparem fateor, quòd reo intervenire aliquid poteſt, unde collegæ ſupplicium evadat, & vivat; ſenẽ verò omnibus ſenſibus ferè præmortuum, quam ſenectuti, quæ ipſa & morbus & viva quodammodò mors eſt, eripere ſola mors poſſit, morti nihil; quæ juvenem eò feliciùs ſuſtulit, quò citiùs tot tantiſque calamitatibus abſolvit.

a Sic defuncto juvene ſuperſtes ſenex magis miſer eſt.
b quia continuò mortem ſpectat & expectat,
c quam evadere non poteſt, ſicut reus poteſt:

I nunc, inanis homuncio, & de diuturno vitæ tempore gloriare. Falſa eſt hæc, ut vides, felicitas, vera miſeria. Nec enim in miſero tantilli temporis ſpatio ulla diu ſtare felicitas poteſt. Raró ſenex, idemque felix. Plus dico, raró vivus, idemq; felix. Quid enim vita, niſi militia? quid porrò militia, niſi omnium planè calamitatum epitome? Patiens profectò Vates ille, qui incredibili miſeriarum omnium tolerantiâ, ipſos perennis miſeriæ carnifices fatigavit, humanæ vitæ, quas expertus fuerat, ærumnis penitùs exprimendis nomen aptius invenire non potuit. Si tamen militiam eſſe negas, jam doceo; ſed, quò meliùs tibi fidem faciam, Petrarchæ

d & quia ſenectus ipſa miſeria eſt,
e imò & vita ipſa.
f Hinc & militia dicitur,
g quâ nulla major miſeria.

h *Pugnant hic in se* trarchæ verbis ex integro, non meis. Omnia hîc, ut Heraclitus voluit, ſecundùm litem fieri univerſa teſtantur. Rapido ſtellæ obviant firmamento, contraria invicem elementa confligunt, terræ tremunt, maria fluctuant, aër quatitur, crepant flammæ, bellum immortale gerunt venti, tempora temporibus concertant, ſecum ſingula, nobiſcum omnia, ver humidũ, æſtas arida, mollis autumnus, hyems hiſpida; & quæ viciſſitudo dicitur, pugna eſt. Taceo, quòd nullum animal bellis vacat: homo ipſe terreſtrium dux, & rector animantium, qui rationis gubernaculo ſolus hoc iter vitæ, & hoc mare tumidum turbidumque tranquillè agere poſſe videretur, quàm continuâ lite agitur, non modò cum aliis, ſed vel maximè ſecum? Quis Philoſophorum, quis Grammaticorum, quis Rhetorum conflictus? quæ Dialecticorum altercationes? quæ denique artium omnium diſcordiæ? Qui clamores inter cauſidicos? quàm benè conveniant, ipſarum cauſarum immortalitas probat. De concordiâ Medicorum, teſtimonium ſit ægrorum. Vitam certè, quam brevem dixêre, ſæpè ſuis litibus fecêre breviſſimam. Quanta eſt prætereà de ſacris & de religione difformitas animorum? non tam litteratorum verbis hominum, quàm populorum armis & campo ſæpiùs commiſſa quàm ſcholæ. Quid de communi vitâ, deque actibus

i *& in hominem omnia,*

ſive animæ,

m *ſive corporis,*

bus mortalium loquar? Vix duos in magnâ urbe concordes, cùm multa, tum maxima ædificiorum habituumque varietas arguit. Nam, quis umquam tam locupletis delicatique patris-familias nactus est domum, ut non ibi multa mutaverit? ut quod uni studium fuit exstruere, alteri sit voluptas evertere? Testantur mutatæ sæpè fenestræ, obstrusa ostia, passimque vetustis in parietibus novæ indicant cicatrices. Neque in alienis id tantùm, sed in nostris patimur, sua dum cujusque sententia secum pugnans, quod ait Flaccus,

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis;

quò luce clarius fiat, quis nostrûm quisque cum aliis, quísve secum sit. Iam qui vestium modus, quíve habitus triduum totum nostris durat in urbibus? quæ municipiorum scita non cum suis latoribus desinunt? Adhæc, quænam Ducum in ordinandâ acie, quænam Magistratuum in ferendis legibus, quænam nautarum in capiendo consilio disparitas quæve discordia est? Quin verò, nihil etiam eorum quæ delectant, sine lite agitur. Agè enim, in amore quantus zelus? quanta in conjugio dissonantia? quot querelæ? quantæ suspiciones amantium? quæ suspiria? qui dolores? quanta dominorum ac servorum contentio, qui non ideò minùs infesti, quia domestici hostes sunt, cum quibus nulla umquam pax speranda, nisi quam

[n] *sive fortunæ bonæ;*

[o] *leges ipsæ,*

[p] *conjuges,*

[q] *socij,*

mors fecerit vel paupertas? Non dicam fratrum
r *filii,* quoque gratiam raram, non filiorum etiam in pa-
rentes: ſed parentum, quorum opinatiſſimus eſt
ſ *parentes,* amor, quanta indignatio in filios, quos, dum bo-
nos cupiunt, malos lugent, atque ita quodammo-
t *amici;* dò, dum valdè diligunt, oderunt? Quanta verò in
amicis quamvis finium concordia, viæ tamen
actuumque diſcordia? quanta opinionum atque
conſiliorum conflictatio? ut vix Ciceroniana,
cujus antè meminimus, definitio ſtare queat. Eſt
& in amore odium, & in pace bellum, & in con-
ſenſione diſſenſio.

u *homo cum artibus,* Iam quæ infantium bella cum lapſibus? Quæ
puerorum rixa cum litteris? amariſſimè ſeren-
tium quod prædulciter metant. Quænam inſu-
x *laboribus,* per adoleſcentium lis cum voluptatibus, dicam
veriùs, imò quanta ſecum lis, affectuumque colli-
ſio? Quænam feminis puerperii difficultas, quan-
y *paupertate,* tumque diſcrimen? Quænam viris cum pauper-
tate atque ambitione luctamina? Quanta vitæ,
z *divitiis,* plura quàm expedit ſatagentis, anxietas? Quod
denique illud ſenum cum ætate ac morbis, pro-
a *morbis,* pinquante morte, quod omnium ipsâ cum morte,
quòdque ipsâ quoque eſt morte moleſtius, cum
b *morte,* perpetuo mortis terrore certamen? Porrò, quis
neſcit, quàm grave quiſque ſecum aſſiduè bellum
habet? Nam, & corpus hoc quàm contrariis æſtuet

ac turbetur humoribus, ab his, quos Physicos dicunt, quære. Animus quàm diversis quamque adversis secum pugnet affectibus, unusquisque non alium quàm sese interroget, sibique respondeat. Quàm vario, quamque reciproco mentis impulsu modò huc rapitur modò illuc, nusquã totus, nusquam unus, secum ipse dissentiens, se discerpens? *c affectibus atque adeò secum.*

Nam ut sileam reliquos motus, velle, nolle, amare, odisse, blandiri, minari, irridere, fallere, fingere, jocari, flere, misereri, parcere, irasci, placari, labi, dejici, attolli, titubare, subsistere, progredi, retroverti, inchoare, desinere, dubitare, errare, falli, nescire, discere, oblivisci, meminisse, invidere, contemnere, mirari, fastidire, despicere, simulque suspicere, ejusmodi sunt, ut iis sine ullâ requie, ab ingressu usque ad exitum, pugnet & fluctuet vita mortalis. Hæc ille.

Sic de vitâ, sic de humanis omnibus, sic de homine & in hominem, sic de nihilo & in nihilum pugnant hîc omnia, quo nihil est vanius. Credes quod assero, ubi ipsum cum humanis omnibus hominem meritò nihili faciendum ostendero. Aggredior. *d Imo verò humana omnia, & homo ipse, adeò vana, ut nihil sint.*

Si sit naturâ, si cælo judice, cuivis
Nasci culpa, labor vivere, pœna mori;
Si caro nostra cinis, cinis auræ ludus, & auræ
Ludibrium nihil est; numquid homo ipse nihil?

Si nihil ipſus homo eſt, baſis omnium; inanis inani
Spes innixa baſi, reſque, quid eſt, niſi nil?
Si nihil eſt; homo manſuri nova triſtega tecti
Figit in externâ cur peregrinus humo?
Omnia poſſe ſtudet cur ſolus in omnibus, ex ſe
Qui nihil ipſe poteſt, aut potiùs nihil eſt?
Cur petit altiſonæ monumenta perennia famæ,
Quem ſua ſors memorem vix ſinit eſſe ſui?
Quod memorem, vix eſſe ſui ſua ſors ſinit, ipſum
Hoc eſt, immemorem quod facit eſſe ſui.



VE-

VERITAS.

QVÆ cùm ita ſint; quouſque tandem, perfida Vanitas, Iudicis abutêre clementiâ? quamdiu tua mortales improbitas circumveniet? quem ad finem falſi veríque neſcios effrenata raptabit audacia? Nihílne te Oratorum Reip. Chriſtianæ monita, nihil Paſtorum excubiæ, nihil tot in te ſcripta volumina, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil intentâ jam pridem, & tantùm-non illata perduellionis pœna deterruit? Patêre tua mendacia non ſentis? conſtrictas nunc etiam, Iudicis ipſius conſcientiâ, teneri inſidias tuas non vides? Quid antiquæ, quid novæ legis tempore geſſeris, quos fortunæ, quos cæli bonis everteris, quid ſuaſeris, quid deſignaveris, Veritatem fugere exiſtimas? O tempora! ô mores! Bonorum quilibet hoc intelligit, Paſtores vident, Oratores arguunt, Iudices audiunt, hæc tamen Vivit? Vivit, imò verò & in domos, & in Senatus, & in templa paſſim admittitur? ducit in fraudem, trahit in perniciem unumquemque mortalium? Vos autem, Veritatis propugnatores acerrimi, & muneri veſtro & Reip. Chriſtianæ nihil ultrà debere vos creditis, ſi iſtius fraudes ac damna vitatis.

e *Patent itaque vanitatis fraudes*

f *& facinora;*

g *& adhuc toleratur?*

Ad mortem, ad ignes, & æternos quidem, om-

nium votis damnari te jampridem, Vanitas, oportebat, illis te cruciatibus devoveri, quibus humanum genus numquã non objicis. An verò publicum viarum grassatorem è medio tollere, cuilibet aggresso liberum est? Vanitatem orbem terræ furore, rapinis, cæde, incendiis, quotidie divexantem Veritas perferet? Habent profectò, habent sanctiores meæ litteræ tot in te SS. Triadis Senatusconsulta, quot paginas, quibus confestim interemptam te convenit: non deest Veritati consilium, non deest auctoritas summi Iudicis. Vos, vos, dico apertè, Christiani, & Veritati deestis, & vobis. Tu interim vivis, & vivis impia, non ut sceleribus tuis patrocinetur impunitas, sed invidiæ. Quid enim?

h *Pœnas æternas meretur,*

i *juxta Dei decretum;*

l *nec adhuc punitur?*

Indictum est animis bellum, fixa jam castra nequitiæ, erecta levitatis vexilla, scriptus ubique trossulorum exercitus, æruscata militum stipendia, strati per compita murices, positæ bonis omnibus insidiæ; eorum autem ducem castrorum, & hostium intra mænia, atque adeò in ædibus, ac ipsis sacræ non minùs quàm profanæ curiæ penetralibus, videtis intestinam aliquam quotidie perniciem Reipubl. Christianæ molientem, nec adhuc exilio perfidam, aut bonorum multat auctoritas, aut ipsa tot fraudum scelerumque testis & rea conscientia?

m *Mala fecit facitque innumera;*

n *nec adhuc vel coacta vel sponte exulat?*

Etenim,

Etenim, quid eſt, ô VANITAS, quod jam ampliùs ſperes, ſi neque lugubris impenſæ tenebræ, neque culinæ, nihil non decoquentis, fumus multò denſiſſimus obſcurare nunc faſtus tui inſolentiam poteſt, nec ędium tot occluſa repagulis veſtibula, nec multiplex rationabilis linguę vallum, nec inſcrutabilis humanę mentis abyſſus ærufcationis tuę ſigna falſiſſima diutiùs continere; ſi erepunt, ſi proſiliunt, ſi patent omnia? Mitte, quod affectas, conſilium; obliviſcere fraudis & ſcelerum; proderis, accuſaris, convinceris undique: luce clariora ſunt deſignata jam pridem per te facinora, quæ ne fugere me credas, audi.

o maximè cùm videat patêre ſcelera ſua,

Meminiſtin', perfida, ut Epuloni Evangelico divitias in vitia, & prodigo Iuveni delicias in ſiliquas verteris? Recordaris, quàm fallax inęſtimabilis pretium ſanguinis Iudæ appenderis Chriſti anno ſupra trigeſimum tertio, Martii vero die circiter vigeſimum? Senſiſtíne, cùm periculoſis crebriſque velitationibus Antonium, Pachomium Macariumque laceſſeres, tum temporis te meis pręſidiis, meâ diligentiâ conſiliiſque pręoccupatam, arenâ ſimul & victoriâ cedere debuiſſe? Si tibi, certè mihi non excidit, quàm funeſtas Alexandrię ſub Theodoſii Minoris tempora inſidias adornaris, Pelagiam, inquam, ipſiſſimam caſtitatis perniciem, quę ob formę venuſtatē, corporíſque cultum,

p diverſis locis & temporibus perpetrata?

cultum, non jam Veneris ſerva, ſed ipſa Venus habita, ſolis oculis captivam poſt ſe urbem traxiſſet, niſi illam vigiles Nonnii Antiſtitis oculos, laqueos amantium capillos reſcindere, feminam tum veſte tum nomine exuere, nulloque præterea fuco frontem pingere coëgiſſem, quàm pudibundâ præteritorum memoriâ. Vis paucis multa? nullum jam tot annos facinus extitit niſi per te, nullum flagitium ſine te; tibi uni frequens corporis animiq́ue pernicies ſemper curæ fuit ac luſui.

q *Suadetur, ut ſponte exulet:* Et dubitas etiamnum vitam iſtam, juſtis ſuppliciis debitíſque ereptam, fugæ ſolitudiníque mandare? dubitas, quorum mentes ſenſúſque vulneras, eorum conſuetudinem fortunámque vitare? Egredere, libera Remp. metu; in exilium, ſi hanc vocem expectas, proficiſcere. Nemo eſt extra illam improborum manum, quam ex perditis, atque ab omni nō modò conſcientiâ, verùm etiam ſpe derelictis conflaſti, qui non te metuat, non oderit, non extinctam velit.

r *ſed non audit.*

Quid ad hæc Babylonia meretrix? Silet impudens, & cum fronte aures ſimul & linguam perdidit.

ſ *Siſtitur itaque judicanda Iuſtitiæ.* Te itaque ſumma juris & æqui Parens IVSTITIA, per eam, quam adfers egregio publico fidem, obteſtor, ut ne funeſtam hanc Patriæ facem, malorum fomitem, bonorum odium, vitæ mortem, ſalutis

ſalutis exitium, diutiùs noſtris in finibus hærere patiaris. Liberet malos audaciâ, bonos metu, omnes interitu: exulet terris bellua, ne cælis homines; ferat ſupplicium coacta, quod jam pridem ſuâ ſponte ſubire debuerat.

Quid enim? illáne, ut umquam ſe corrigat? ut malum oderit? bonum amet? patriæ conſulat? minimè gentium. Audiat itaque, quam meretur, ſententiam perfida, exulet templis, Curiis, domibus, mœnibus, agris, corporibus, animis, fortuniſq; omnium, & ne quà ſe denuò forſan inſinuet, obſervent illam Prælatorum oculi, preoccupent Oratorum monita, arguant Senatus-Conſulta, arceant eorum, qui ſacris quæſtionibus præſunt, judicia. Sentiat improba, ſe jam inde à principio, naturâ tuâ conſiliiſque damnatam, tantiſper exilio contabeſcere, dum illam Iudex omnium VERITAS, flammæ, mortiſque numquam non vivæ, ſupplicio ſine fine devoveat.

EPINICIVM,
QVOD
VERITATI & Victori
GRATVLABVNDVS ACCINIT
PETRVS-ANTONIVS PIERSSENE,
BRVGIS
AD D. SALVATORIS CANONICVS.

DIREMPTA *lis est. Indice quàm bono*
Dirempta tandem! Diffuge VANITAS,
Et ultrò & ultrà VERITATI
Da meritos, malefida, fasces.

At tu beatis auspiciis rege,
Tuóque felix utere VERITAS
Et jure & orbe, VANITATIS
Inde procul, procul usque pulsis

Dolis & armis. Si referat pedem,
Habes Tribunal; si renovet dolos,
Habes Patronum, qui clienti
Expediat laqueos, & ultrò

Suis dolosam retibus implicet:
Sic pollicetur jam propè nuperis
Linguæ venenis, sensuumque
Decipulis, quasi liber orbis.

Sic pro amico amicus
fide-jubet.

IN-

INDEX LEMMATVM.

EPI-

EPITOME TOTIVS OPERIS.

Præfatio dedicatoria.



Anitas in jus vocatur.lit.a *Evocationis modus excusatur*.b *Accusationis capita*.c *Olim à Salomone apud omnes traducta* , d *nunc exilio mulctanda* , e *si non ignibus*,f *Iudicio sistitur*.g

Præfatio monitoria.

S *Criptionis ratio*.h *Argumentum*.i *Scriptoris monitum*.l *Votum*.m

ACCVSATIONIS MATERIA.

fol.1.litt.n

Accusationis caput.

I.

Ingenium.



Cies ingenii subtilis , *ut araneæ tela, inutilis est*.3.o *Hinc invisa Palladi aranea*. ibid.p *Nihil rectè sciunt Sophistæ*,ibid.q *similes horologiis*,4.r *sibi semper adversi*.ibid.s *Maximè docti,maximè ignari*,ibid.t *erroribus*, ibid.u *amentiæ*, ibid.y *nequitiæ obnoxii*.ibid.z *Testis Catilina*,5.a *& alii*. ibid.b

II.

Memoria.

Memoria, ut lati gutturis poculũ, 7.c *facilè quod admisit* , *amittit facilè*. ibid.d *Perfidus quæstor*, ib.e *speculo similis*: ibid.f *minimo vapore turbatur*,ibid.g *Dei, & sui immemor*. 8.h *Infelix puerpera*, ibid.i *stomachus frigidus*, ibid.l *animi carnificina*. ibid. m *Quæ omnium optima*. 9.n

III.

Eloquentia.

Characterum copia utilis, si rectè uteris:11.o *sin secùs,noxia*.ibid.p *Sic & verborum copia* ibid.q *anceps est*.ib.r *Qualis qualis sit*, 12.s *quò major, eò periculosior*; ib.t *maximè, si illi quàm maximè fidis*.13.u

IV.

Valetudo.

Insanum de rebelli conjuge gaudium. 15.y *Quasi cõjux, anima caro*:ib.z *rebellat aßiduò*;ibid.a *fovetur tamen,ut valeat*.ib.b *Multis sanitas noxia*,ibid.c *utilis infirmitas*.16.d

V.

Robur.

Agile & robustum corpus est fortis adversarius , *firmus carcer* , *belluina gloria*.18.e *Imò superant hominem agilitate belluæ, venti, cælum*; ibid.f *robore verò præter belluas*, ibid.g *navis*,ibid.h *& trabs*;19.i

Ii 2 quæ

XIV.

XLIII.

Imperium.

XLIV.

Classis.

XLV.

Exercitus.

XLVI.

Victoria.

XLVII.

Votorum summa.

XLVIII.

Flos vitæ.

XLIX.

Ætas integra.

L.

Vita longæva.

Epilogus.

CATALOGVS AVCTORVM,

quorum in hoc opere ſententiæ, aut hiſtoriæ.

A Curcia.
Ælianus.
Aldrovandus.
Alexander ab Alex.
Antoninus.
Apollodorus.
Ariſtoteles.
Athenæus.
D. Auguſtinus.
Auſonius.
D.Bernardus.
Beyerlinck.
Biblia.
Bidermannus.
Boëtius.
Briſſonius.
Cælius.
Carneades.
Cartagena.
Cato.
Cauſſinus.
Chryſoſtomus.
Cicero.
Cornelius à Lapide.
Crantzius.
Dauroutius.
Democritus.
Dio Caſſius.
Drexelius.
Dubravius.
Eginardus.
Eraſmus.
Foulloucius.
Fulgoſius.
Gellius.
Giraldus.
Guicciardinus.
Halicarnaſſæus.
Haræus.
Hermannus Hugo.
Hieronymus.
Hippocrates.

Home-

Homerus.
Horatius.
Hugo à S.Victore.
Innocentius.
Ioannes de Serres.
Iosephus.
Iunius.
Iuvenalis.
Lactantius.
Laërtius.
Livius.
Ludovicus Melsus.
Lycosthenes.
Majolus.
Manilius.
Mariana.
Martialis.
Marulus.
Mejerus.
Mirandula.
Natalis.
Nonnius.
Olaus Magnus.
Ostiensis.
Ovidius.
Paschas.Iust.
Pausanias.
Petrarcha.
Peucerus.
P.Ant.Ferrarius.
Platina.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polydorus Virgilius.
Quinctilianus.
Reydanus.
Richterus.
Sabellicus.
Salianus.
Salomon de la Broüe.
Salustius.
Sanderus.
Saxo.
Scribanius.
Seneca Tragœd.
Seneca Philosophus.
Sigonius.
Strada.
Suetonius.
Textor.
Theophrastus.
D.Thomas.
Thorius.

Tre-

Trebellius.
Trigautius.
Valderama.
Valerius Maximus.
Varro.
Vbaldus.
Vignerius.
Virgilius.
Volaterranus.
Ziglerus.
Zonaras.



SYL-

SYLLABUS

Rerum & ſententiarum.

Benè

Fabius

ad


Robore

Staphylus


Venerea


SPHALMATA NONNULLA TYPOGRAPHICA.


	Erratum.	*Emendatio.*
fol. 9.*lin.* 7.	oblivifcitur	oblivifcere
12.*lin.* 10.	clarum	claram
18 *in marg.*	bellicæ	belluæ
33.*marg.*	maximè fed	fed maximè
53.*lin* 23.	iis	eâ
54.*lin.* 21.	Nyctilco	Nyctileo
60.*lin.* 19.	certò	certè
61.*lin.* 16.	ftrophei	ftrophii
ibid.lin. 20.	mutuli	mutili
64.*lin.* 7.	naveam	naufeam
79.*l.* 16.	exclamabatis	exclamabitis
84.*lin.* 2.	fallax	felix
117.10.	Innocentiam	Innocentium
140. 12.	vapularet	vapulaffet
150.*lin.* 11.	plurium	plurimum
151. *lin.* 4.	iniquiffimi	iniquiffimè
	prodigii	prodigum
159.*lin.* 19.	fartum	faxeum
171.*lin.* 16.	Hippomene	Hippomenes
177.*lin.* 13.	eliminatam	eliminatum
202.*lin.* 13.	certè	fieri
203.*lin.* 10.	*Pox*	*Por*
211.*lin.* 16.	rebelli	*tollatur*
ibid.lin. 23.	fororum	fororum
218.*lin.* 11.	facies	faces
222.*lin.* 21.	nihil inde	nihil-ne
224.12.	diffimilitudinis	diffimilitudine
ibid. lin. 17.	illa	illæ



[illegible]







Omnia ?PR ad naturae
invidiam fingere se
posse ostenderet

ACCVS. CAPVT XXII. 89

VANITAS.

Equorum genus omne.



VERITAS.

Quot genera, tot pericula.

M VE-

14.) **BURGUNDIA, Antonius.** *Mundi Lapis Sive Vanitas per Veritaté Falsi. . . .* [28], 249, [27] p. Engraved title by Theodor. Ion. van Merlen and 50 emblematic copperplate illustrations by Andries Pauwels the Elder, all after Abraham van Diepenbeck. 4to., 200 x 145 mm, full contemporary calf, gilt title on spine, gilt-stamped coat-of-arms on front and back covers. Antuerp: Viduae Joan. Cnobbar, 1639. $950.00

First Edition. Small paper repair to outer margin of the dedication leaf, rubbing to the extremities of the binding; otherwise, a fine copy. Scarce.

This is a choice copy of one of the great Flemish emblem books of the 17th century. The text is devoted to illuminating the difference between "Vanitas" and "Veritas." It is the emblematic copperplates depicting the various pursuits of vanity, however, that serve as the central focus of the book. The illustrations are set within oval or hexagonal frames and incorporate characteristic scenes from 17th-century Flemish life, including figures in contemporary costume, several delightful scenes centered on food, eating and drinking, ships in full sail along the coastline, numerous landscapes, men at work on a printing press, and several elaborate depictions of Flemish architecture as background setting. The illustrations were designed by a pupil of Rubens, A. van Diepenbeck, and were engraved by Andries Pauwels the Elder. The impressions are of excellent quality, design and execution.

Landwehr, *Dutch Emblems,* 37. Praz 292. de Vries 178. Funck 284. Brunet I, 1405.

1984 Wm. Wyer, Williamstown

Printed at the first press in Hagenau by Heinrich Gran, this is the corrected, third edition based on Gran's edition of 1500. The first edition of Busti's *Rosarium Sermonum* was printed in Venice in 1498. The Marian sermons and the Rosarium sermons proved to be very popular works which saw several printings within a few years of their first appearance. Bustis (d. 1500) was one of the major exponents of the cult of the Virgin, a formal Catholic theology associated most closely with the Franciscans. In this massive work his writings concentrate on the practice and devotion to the Rosary or the "Fifteen Mysteries" as symbolized in the fifteen decades of "Ave Marias" which are central to the worship of the Blessed Mary Virgin. This edition retains the character of incunabula printing in every aspect. Busti's writings continue to provide useful sources for both early Church history and religious doctrine.

Adams B 3353-4. Panzer VII, 73, 51. Burg, *Hagenau,* 122-3. For Bustis see: Argelati *Bibliotheca Scriptorium Mediolanensium,* I, ii, 244-5 and II, ii, 1964, and Mazzuchelli, *Scrittori Italiani,* II, 2464-5.

WITH AN EXTRA SIGNED PLATE LAID IN

16.) **[DINE, Jim].** *The Temple of Flora.* With botanical notes compiled and poetry selected by Glenn Todd and Nancy Dine. 136 pp. Illustrated with 28 drypoint-engravings by Jim Dine. Folio, 520 x 360 mm, in half dark-green goatskin with olive-grey cloth over boards, in matching box with a relief sculpture by Dine on the top representing Flora's temple gate. San Francisco: The Arion Press, 1984. **$2000.00**

> Limited to 150 copies (plus 25 for the artist and the press). Elegantly printed on Rives paper by the Arion Press. INCLUDED is an extra print of the frontispiece SIGNED and numbered by Dine, suitable for framing. The book is also SIGNED and numbered by the artist. Condition is as new, and offered at the published price.

The Arion Press of San Francisco has just completed this elegant, beautifully illustrated rendition of Thornton's revered botanical work, *The Temple of Flora,* originally published in 1807. Jim Dine has drawn from the floral plates in Thornton for his own interpretations of 24 flowers, and four others were drawn from various sources. The plates (458 x 305 mm) were worked in Paris at the Atelier Crommelynck and printed by Robert Townsend in Georgetown, MA. Each plate is accompanied by the most recent botanical information for each flower and by a modern poem facing the plate. Included are poems by: Hart Crane, E.E. Cummings, Robert Graves, Denise Levertov, Frank O'Hara, Sylvia Plath, Ezra Pound, Wallace Stevens, and William Carlos Williams; to list a few. Illustrated by one of the premier names in modern-day printmaking, this new interpretation of Thornton's classic work possesses an energy and beauty that unquestionably rivals its predecessor. It will certainly be considered one of the great 20th-century illustrated works in the field of horticulture.

17.) **FABER, Johannes.** *Sermones habiti Pragae, apud Bohemos, de sacrosancto Eucharistiae Sacramento.* 100 pp. 4to., 211 x 160 mm, full 19th-century calf. Uncut. Apud Friburgum Brisgaudiae, 1529. **$575.00**

> First Edition. Printer's device on final leaf, historiated woodcut initials throughout. Light spotting in margins, new endpapers; otherwise, a very good, uncut copy. Very rare.

Faber (1478-1541) acquired an early reputation for his eloquent talents exercised in preaching and aligned himself with the intellectual reformers within the Church. Erasmus was a lifelong friend, and Faber exchanged numerous letters with both Zwingli and Melanchthon. He defended Eras-

18a. Burgundia, Antonius à. MUNDI LAPIUS LYDIUS ODER DER WELT PROBIER-STEIN, Das ist, Emblematische Sitten-Lehren.... Denen Liebhabern der Kuensten ins Teutsche uebersetzt und erklaert in 51 Sinnbildern. Herausgegeben von Johann Ulrich Krauss. With engraved and printed titles and 51 engraved emblem plates. 4to, marbled boards. Augsburg, Lotter, 1712. $125.00

The rare German translation of Antonius a Burgundia's famous emblem book which was first published in 1639. It discusses the "Vanities of the World", each vanity is opposed by a verity. We see, for instance, a kitchen where a number of tempting dishes is prepared over a roaring fire. Vanity says: "Odorum Fragrantia" — but Verity replies: "Inanis Saturitas". Poems in German and Latin and explanatory prose chapters give a further elaboration on the themes. The engravings by Ioannes Galle,

after designs by Pauli and Diepenbeck, a pupil of Rubens, are very fine. There are charming interior scenes, lovely landscapes, the streets and buildings of Dutch and Flemish towns.

Praz 293. — First text page repaired in the corner, with loss of a few words. Some marginal stains and slight foxing, not affecting the pictures. Generally a very good copy.

16. Boxhorn, Marcus Zuerius. EMBLEMATA POLITICA. Accedunt Dissertationes Politicae de Romanorum Imperio. With 17 engraved emblem plates. Thick 12mo, boards. Amsterdam, Jansson, 1651. $75.00

The second edition of the political emblem book by the classical scholar and professor of Leyden, Marcus Zuerius Boxhorn (1612-1653). The emblems are from the studio of the Van de Passes; some are from Reifenberg's Emblemata Politica. This edition has 2 plates less than the first edition of 1635; but it has the additional "Political Dissertations on the Roman Empire" which deal with Roman history and political philosophy, in the form of disputations of several scholars on a number of theses, the historical examples not being without application to the author's own time. There are chapters on forms of constitution, on censorship, amnesty, etc.

Former owner's stamp on verso of title; first page waterstained; otherwise good copy; binding new.



39. BURGUNDIA, Antonius. *Mundi Lapis Lydius sive Vanitas per Veritatem falsi accusata & convicta.* [28], 249, [27] pp. Engraved title by Theodore van Merlen and 50 emblematic copperplate illustrations by Andries Pauwels after Abraham van Diepenbeeck. 4to., 195 x 151 mm, full contemporary vellum. Antwerp: viduae Ioan. Cnobari, 1639.

$ 3500.00 ✓

First Edition of one of the great Flemish emblem books of the 17th century. The text is devoted to illuminating the difference between "Vanitas" and "Veritas." The suite of emblematic copperplates depicting the various pursuits of vanity, however, serves as the central focus of the book.

The illustrations are set within oval or hexagonal frames and incorporate characteristic scenes from 17th-century Flemish life, including figures in contem-

porary costume, several delightful scenes centered on eating and drinking, ships at full sail along the coastline, numerous landscapes, men labouring at a printing press, and elaborate depictions of Flemish architecture as background settings. The illustrations were designed by van Diepenbeeck, a pupil of Rubens, and were engraved by Andries Pauwels. Title-page slightly soiled; otherwise, a fine copy with excellent impressions.

Cicognara 1864. Landwehr, *Low Countries* 72. Praz 292-293. De Vries 178. Wurzbach II, 312(3). Funck 284. Brunet I, 1405. Hollstein, *Dutch & Flemish* XVII, 12. D.W. Steadman, *Abraham van Diepenbeeck* (Ann Arbor: 1982) 55.



23. BOURGOGNE, Antoine de. *Des Wereldts Proef-Steen ofte De Ydelheydt door de Waerheyd beschuldight ende overtuyght van Valscheydt.* Antwerp: Widow and heirs of J. Cnobbaert, 1643. 4°, [16] leaves, 368 pp. Engraved title, and 50 engraved emblems. Contemporary calf, richly gilt; corners and foot of spine worn. $2,600

FIRST EDITION IN DUTCH of this delightful emblem book on the vanities of the world: the emblems each represents a truth contrasted to a vanity, the lesson being that everything has two sides, e.g., the emblem on p. 19 shows a printing press on one side, symbolizing an abundance of words, and on the other side we see a scholar at his study: Truth comments that abundance of words is vain if it is not used wisely.

The beautiful and delicately executed emblems, full of detail of charming interior scenes, landscapes, streets and buildings of Dutch and Flemish towns, were engraved by A. Pauli (Pauwels) after designs by Abraham van Diepenbeeck, a painter from Antwerp who had been a pupil of Rubens.

These emblems first appeared 4 years earlier accompanying the original Latin text: *Mundi Lapis Lydius*, of which the present Dutch version is a free paraphrase, by Petrus Ghesier, a pastor from Bruges.

§ Praz 293; Landwehr 75; Funck 284. [*See illustration*]